

III 115.965

SELECTA
LATINI SERMONIS
EXEMPLA

E

SCRIPTORIBUS PROBATISSIMIS
EXCERPTA

IN USUM

II. HUMANITATIS SCHOLAE

PER

M. TRANSILVANIAE PRINCIPATUM

ET

ADNEXARUM PARTIUM.



164. 394

Const. in cruda 30 xr. Mon. Conv.

CLAUDIOPOLI,
TYPIS LYCEI REGII 1837.

Non Auctores modo, sed etiam partes operis elegeris.

Quintil. L. I. Cap. 5.

NOS FRANCISCUS PRIMUS, Divi-
na Favente Clementia Austriae Im-
perator, Hierosolymae, Hungariae,
Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavo-
niae, Gallitiae, et Lodomeriae Rex
Apostolicus, Archidux Austriae,
Dux Lotharingiae, Virceburgi, et in
Franconia Magnus Princeps Trans-
silvaniae, Marchio Moraviae, Dux
Styriae, et Carinthiae, superioris, et
inferioris Silesiae, Comes Habsburgi
et Siculorum etc. *Memoriae commen-
damus tenore praesentium signifi-
cantes, quibus expedit Universis:
Quod Nos, cum augendorum proven-
tuum TYPOGRAPHIAE LYCEI
REG. CLAUDIOPOLITANI, quo-
rum supernatantia ad Fundum Stu-
diorum Transsilvanicum influit; cum
vero commendationis nonnullorum
fidelium Nostrorum Maiestati No-
strae eatenus interpositae benignam
habentes rationem, dictae TYPO-
GRAPHIAE de Regiae, et Princi-
palis potestatis plenitudine, gratia-
que speciali Privilegium exclusivum
pro impressione, distractione, et ven-*

ditione omnium Librorum Scholasticorum, in singulis Scholis Romano Catholicis in Magno Principatu Nostro Transsilvaniae, partibusque eidem applicatis existentibus introductorum, vel deinceps introducendorum, clementer, et ita concedendum esse duximus, ut Nemo alter, quicumque ille sit, sive Spiritualium, sive Laicorum, sive Nobilium, sive Ignobilium, sive Eruditorum, sive Rudium, **TYPOGRAPHORUM**, Bibliopolarum, Bibliopaegorum, denique quorumcunque Institutorum, et Veteratorum, memoratos, cuiuscunque generis Libros Scholasticos in usum Gymnasiorum, et quarumvis Scholarum Romano Catholicarum per Magnum Principatum Nostrum Transsilvaniae, partiumque eidem annexarum deservientes, aut deinceps deservituros, seu in toto, seu in partes, in Compendio, vel quocunque demum formato Typis denuo exprimere, vel in exteris Provinciis excusos in Magnum Principatum Nostrum Transsilvaniae, partesque eidem adnexas, sine eiusdem **TYPOGRAPHIAE** praescitu, et annuentia sub poena confiscationis, et quin-

que Marcarum Auri gravis ponderis, in dimidietate una ad Cameram Nostram, in altera vero parti laesae irremissibiliter persolvendi invehere, et vendere ausit; praefata TYPOGRAPHIA autem omnes eiusmodi Libros ante eorum impressionem legali, atque in Systemate quoque Litterario praescriptae Censurae submittere teneatur; imo concedimus, statuimusque praesentium per vigorem: Quapropter Vobis omnibus, et singulis, cuiuscunque Status, gradus, conditionis, et praeeminentiae fidelibus Nostriis subditis specialiter vero Judici Primario, caeterisque juratis Civibus, et Senatoribus Liberae, Regiaeque Civitatis Nostrae Claudiopolitanae, modernis utpote, et futuris, harum serie clementer, et serio committimus, et mandamus firmiter, quatenus saepefactam TYPOGRAPHIAM LYCEALEM in exercitio Juris per praesens Privilegium exclusivum impetrati nullatenus turbare, impedire, molestare, et prohibere praesumatis; sed eandem hac benigna Gratia, et annuentia Nostra eidem praevio modo concessa, libere, secure, et absque

ullo damno, molestia, et impedimento in futurum uti, frui, et gaudere permittere, ac per eos, quorum interest, vel intererit, permitti faceremodis omnibus debeatis, ac teneamini. Harum nostrarum Secretioris, et Aulici Sigilli Nostri munimine roboratarum vigore, et testimonio Litterarum mediante, quas post earundem lecturam semper reddi volumus, ac jubemus praesentanti. Datum in imperiali Urbe Nostra Vienna Austriae, die vigesima octava Mensis Julii, Anno Domini Millesimo octingentesimo decimo quinto, Regnorum Nostrorum vigesimo quarto.

FRANCISCUS_{mp.}

Samuel Comes Telek_{imp.}

Daniel Fábián_{mp.}

Protocoll. in Libro Regio
Primae Classis. Pag.
685.

Quod testatum redditur per
Secretarium Transsil-
vanico Aulicum et
Archivi Directorem
*Emericum Füstös*_{mp.}

(LS.)

AD
INSTITUTORES HUMANIORUM
LITERARUM et DISCIPULOS.

De Utilitatibus Auctorum Classicorum.

Ultimo seu sexto Gymnasii anno accommo-
data Latini Sermonis exempla e probatissi-
mis Scriptoribus proponimus, quo iuventus
Poëticis Institutionibus dat operam. Sed quia
stili etiam soluti usum, et exercitationem
praesens quoque annus continuat, quemad-
modum hoc et natura Scholasticae Informa-
tionis postulat, et *Ratio publicae educationis*
Cap. III. definit; ideo stili istius exercitio
Posteriore Parte libelli subsidium adferimus,
quae consistit e solutae orationis huic Scho-
lae convenientissimis exemplis. *Prior Pars*
(lucidi enim ordinis causa, visum est sic di-
spescere opusculum, et in partes separare)
continet exempla variorum Poëmatum, quo-
rum institutionem iuventus huius Scholae ac-
cipit. Uti sunt: Elegiae, Epigrammata, Fasti,
Metamorphoses, Bucolica, Georgica, Satyrae,
Epistolae, Lyrica, et Epica.

Quare praeceptor, quem sibi Musae man-
svetiores ad profligandam barbariem delege-
runt, id negotii datum sibi credet; ut e Poë-
tis non minus, quam e reliquis auctoribus

decerptos hos illustriores locos pro eruditione interpretetur utiliter, et cum fructu non parvo, ut non illorum tantum ingenia pascantur, qui fortasse in discipulis sacro illo igne ad condendos versus correpti fuerint; verum hoc illius eruditionis, et diligentiae genere, in quod in pertractatione auctorum adhibet, singuli animos pulcherrimarum rerum scientia imbuant, humanitatem suam exornent, antiquitatis cognitionem hauriant, venustigustum contrahant, eloquentiae oratoriae necessaria subsidia comparent. Quam in rem quidem etiam Poëtas plurimum profuturos confidenter asseveramus, persvasi tum experientia, et rationibus, tum ipsius etiam eloquentiae parentis gravissima auctoritate, qui quantum sibi assidua Poëtarum lectio adiumenti attulerit, testatus, in Orat. pro Archia Poëta. De quo iam superiore anno commemoratum.

Sed sunt multo plura, nec prioribus dignitate inferiora emolumenta, quae idoneus auctorum interpretes possit in usum auditorum derivare. Nam quid patriae optabilius? quam si eius liberi tempestive plus commune bonum, quam privatam amare, pro Rege, ac salute publica caput, et fortunas generoso animo periculis obiicere, leges patrias, et libertatem adversus omnes temporum iniurias tueri; si magnanimitatem, constantiam, libertatem colere, Deo veram pietatem praestare, morum, vivendique saluberrima

praecepta observare discunt? atqui ubi harum omnium virtutum exempla copiosius, splendidiusque tradita, ubi illustriores, vel a maiore animo profectae sententiae, quam in Scriptoribus antiquis inveniuntur? quibus tanquam ardentibus stimulis ad imitationem incitari, et in amore praestantissimarum rerum confirmari iuvenum animi possint. Quorum uberrimos fontes ubi isti Romana scripta esse pervenerint, ultro, sponteque ad eorum studium et familiaritatem accedent; eorum lectione domi, forisque oblectabuntur. Cum enim eminentissimus ille scholasticae educationis Magister *Rollinus* in eximia *Quintiliani* Praefatione usui Gallicarum Scholarum adornati iudicet parvos referri fructus e publicis Scholis, si per totum anni curriculum, liber unus tantum, alterve *Virgilii*, aut *Livii*, aut una tantum perbrevis oratio *Ciceronis* perlegatur; iuvenes vero nostri clare animadvertant, fieri haud posse, ut multa Praeceptor (uti est ratio Scholarum) ex iis palam proponat; sane ipsi cupiditate iam bonarum rerum tracti, quarum utilitates, et dulcedinem degustaverunt, lectionis privatae constantiam adiungent, plurimaque memoriae mandabunt. Quem memoriae usum in iuvenibus alere, ipse quoque informator sui muneris esse existimabit, non aliter tamen id, nec prius fieri patietur, quam perfecte auctoris sensus sive eius ductu, seu propria discipulorum industria fuerit perspectus.

Nam quod aliqui dicant, rem esse sine

utilitate verba auctorum memoriter percipere, id ad eam in scientiam referimus, quae mentis excolendae ratio non pervidetur, nec experientia cognoscitur; proinde neque illos esse audiendos, aut multis refellendos argumentis putamus. Si enim memoriter discenda sunt tantum latine optima; quid latine melius libris Romanis? et si tantum scimus, quantum memoria tenemus, quomodo, quaeso, aliter quidpiam nitide, eloquenterque dicemus, vel scribemus, quam si e limpidi-
 ssimis fontibus, non e turbidis quibusdam rivis, rerum, latinaeque orationis haustam copiam possideamus? hancque possessionem identidem multiplicemus, augeamus? unde tanquam e penu locuplete sumamus, quae ad exprimendos perspicua, facili, et vere latina elocutione cogitatus erunt necessaria? nisi sermonem ab Evandri seculo petitem, ad cuius intelligentiam uti ad Sphyn-
 gis aenigmata opus sit Oedipo interprete, promere malimus. Sed de hac necessaria memoriae exercitatione redibit mentio in iis, quae delectui auctorum nostra interserimus, nec sine causa hic earum observationum, monitorum, adnotationum non fugitivam lectionem commendamus sive illis, qui Romanae linguae duces, et antesignanos exponunt, sive qui sine aliena opera ad eorum lectionem animum applicant.

Ex his, quae in medium adtulimus, conficitur: curandum esse tam Institutoribus,

quam discipulis, ut ingentes illas in commune bonum directas utilitates, quae e veterum Romanorum libris proveniunt, coniuncta in Scholis opera promoveant, cum alioquin utrisque obscurum esse nequeat, munus docendi, discendique, quod utrique sustinent, crimini illis verti, si illud quam utilissime non exequantur, quando illis patria sobolem suam propositis stipendiis tradidit Reipublicae usibus quam optime formandam, huic parentes liberaliter sumtus largiuntur, quo se ad hos usus quam maxime idoneos efficiat. Ceterum spes est, ne quidquam studii, et industriae in utriusque desideretur, sicut in Gymnasiis incensa est in publicum commodum Magistrorum sedulitas, et erecta iuventutis indoles ad recipiendos bonae informationis fructus, praesertim cum in toto hoc latini sermonis exemplarium delectu tam ad huius, quam ad reliquarum Scholarum usum parato, ante oculos propositam nobis fuisse affirmemus iuventutis patriae indolem, ac spiritum e nationis, consuetudinum, educationis, regionisque conditione manantem, quo magis frugifer sit, et accommodatus illius ingenio, et voluntati, ac propterea magis placeat, atque ad profectum trahat. Cuiusmodi principium, si eius ignari non sint, utrisque proderit. Nam interpretem admonebit, ut sagaciter odoretur, quomodo prudentissimo huic principio conformius, convenientiusque quamlibet cuiusvis auctoris partem, et materiam explicet, ne quid omittat, quo

discentibus vehementer prodesse possit; hi vero ipsi, cum legerint, penitius in auctorem introspectent, et sensum scrutari, de suo addere iudicium discent, ne quae in iis sibi maxime fructuosa exstarent, leviter transcurrant.

Unum est etiam, quod, ne hic orationem abrumpamus, detinet. Ut videlicet: si qui sint, qui varietati auctorum, e quibus delectus iste coagmentatus est, parem stili rationem, id est: variam, sibi que dissidentem auditores adumbraturos existiment, haec illorum animis opinio eiiciatur. Itaque cogitent hi, ista auctorum, materiaramque diversitate id inter cetera quaeri, ut iuvenes multiplicem rerum notitiam, cogitationumque suppellectilem, et quasi silvam, latinitatis copiam, varias, easque elegantiores loquendi formulas sibi comparent, et cogitate discant ordinate nectere. Persvasissimi enim sumus, stili tanquam rei difficillimae constantiam diuturno usu, et assidua exercitatione ubi aetas maturior, diversarum scientiarum cognitione informata, et multa, atque accurata lectione, imitationeque subacta fuerit, acquiri. Accedit et hoc: quod tametsi demus, uti libenter nos dare fatemur, iam teneriores iuvenum mentes stili, ac sane eloquentiae optimis elementis prius, quam nudis, ac jejunis artium praeceptis nutriendos esse, profecto tamen sibi proprium, ut sic dicamus, ducere colorem consuefaciendi sunt. *Sua enim revera cuique animi est cogitatio, colorque proprius, ut ad rei naturam apposite Phaedrus in Fabulis. Et Propertius in Elegiis: Natu-*

rae sequitur semina quisque suae. Ac vel propterea in tam multiplici iuvenum natura, et tanta ingeniorum varietate, atque adeo aduersitate non concedimus unius alicuius ingenio, ac stilo omnes adstringi, et quasi prae-
finiri posse. Quod dudum eruditissimus *Cortesi* demonstravit. Sed de hoc nunc, quidquid sit, non plura.

Nos modum in hoc etiam varietatis delectu tenere studuimus ubique probatissimarum editionum textum secuti, ac solliciti, ne ex immodica, inconditaque diversitate, indigestum, et abnorme; e tenui, aridaque, taediosum, et exangue libelli corpus coalescat; cuius lectione inflammatos iuvenes non dubitamus in manus integra auctorum opera sumtuuros, in quos quidem propensione ingenii ferentur, ut ex his amoenitatum Doctoribus plures praestantissimas res, verasque opes in mentibus accumulent. Sunt enim iam huius Scholae iuvenes ea aetate, et iudicio, ut non mediocres progressus in his utilitatibus facere queant; quod nobis longa annorum experientia, cuius et nunc recordatione oblectamur, pro comperto est. Et eandem ob causam hic de iisdem utilitatibus, quarum amplificationem in informatione scholastica ardentissime patriae, et literarum causa optamus, prolixius, licet multo plura relicta sint, disputavimus. Superest: ut partis utriusque auctores, e quibus delectus paratus est, nominatim exhibeamus, et tam docentium, quam discentium usui, ut prosit, precemur.



CONSPECTUS PARTIS PRIORIS.

Auctorum Stili Poëtici.

	<i>Pag.</i>
Delectus e sex libris Ovidii Fastorum	1
— — — Tibulli Elegiis	24
— — — Propertii Elegiis	35
— — — C. Val. Catulli Epigram.	48
— — — M. Val. Martial. Epigr.	54
— — — Metamorph. Ovidii	65
— — — Bucolicis Virgilii	82
— — — Georg. Lib. I. et II. . . .	93
— — — Epist. et Sat. Horatii ac Juvenalis	111
— — — Lyric. Horat. Lib. III. IV. ac Epod.	131
— — — Liber de Arte Poët. eiusdem	155
— — — Ex Aeneide Lib. II.	171

CONSPECTUS PARTIS POSTERIORIS.

Ciceronis Oratio pro Archia Poëta	215
Post reditum ad Quirites	250
Sallustii Orationes	267
Livii Historiae pars, quam supra cete- ras omni studio, et elegantia elaboravit.	275

PARS PRIOR,
AUCTORES STILI POETICI
Complectens.


DELECTUS
E P. OVIDII NASONIS
LIBRIS FASTORUM.

ARGUMENTUM FASTORUM.

Libri hi versibus elegis elaborati Germanico Caesari inscribuntur. Opus antiqua eruditione Patrum, Pontificumque referunt. Sex tantum priores e duodecim libris. quos scripsit, aetatem tulerunt. In his siderum ortus, et occasus notatos, diversorum sacrorum originem, et ritus magna eloquii facilitate, ingenique ubertate expositos; item dies mensium ipsis sacris praestitutos, secundum Romanam supputandi rationem, legere poteris. Quare convenienter ex his libris delectum, uti et e Metamorphosi huic Scholae apparatus esse coniectis, in qua Romanae Antiquitates et Mythologia praeleguntur iuventuti. Ac propterea Joan. Clericus in arte Crit. nullum ait Poëtam prius legendum Ovidio, atque ex eius quidem operibus, Metamorphosi et Fastis tum quod stilus eorum facilius sit, tum quod lectio duorum horumce libro-
Select. pro II. Hum. 1

rum ad infigendam memoriae Mythicam Historiam plurimum conducant. Et Tristium, et e Ponto Elegiae aliquot sensu clariores praemittuntur illis iuvenibus, qui Prosodiae regulas discere, et discrimen prosae inter, et versam orationem Magistri ductu pervidere incipiunt. Ad suppleendam lacunam Fastorum, sex libros adiacere tentavit Barth. Marisottus, ne perditos res literaria doleat Ovidianos, sed mirum, quantum a suavitate Nasonis degeneravit.

In Fastis Ovid. ut inquit Daniel Heinsius linguae, et numerorum admirabilem felicitatem, puritatem, simplicitatem, ac invidendam suavitatem urbani, et ingenui viri sine ulla imitationis spe adorant, simulque agnoscunt, gravitate, et summa arte sic esse expolitos, ut facilitatem, et elegantiam minime excluderent; qui prope Pragmaticam Sacrorum Romanorum Historiam texunt, et Rituum diversitatem. Vita Ovidii iam alteri Scholae exposita est, hic iterum iuvenibus inde potest in memoriam revocari; et uberius etiam e libro IV. Tristium Elegia 10 exponi. Ubi ipse Poeta eam describit, uti et sui aevi Poetas. Quid vero apud Poetas Fasti, explicatur in Institutionibus Poeticis Gymnasiorum pag. 191.



E LIBRO I. FASTORUM.

A versu 87.

Festum Jani fuit Calen. Jan. Hoc descripturus Poëta fingit sibi apparuisse Janum, et de suae Divinitatis origine, officio: forma enarrationem fecisse.

Salve laeta dies, meliorque revertere semper,
 A populo rerum digna potente coli.
 Quem tamen esse Deum te dicam Jane biformis?
 Nam tibi per nullum Graecia Numen habet.
 Ede simul causam, cur de coelestibus unus
 Sitque, quod a tergo, sitque, quod ante vides.
 Haec ego cum sumtis agitarem mente tabellis,
 Lucidior visa est, quam fuit ante, domus.
 Tum sacer ancipiti mirandus imagine Janus,
 Bina repens oculis obtulit ora meis.
 Obstupui, sensique metu riguisse capillos,
 Et gelidum subito frigore pectus erat.
 Ille tenens dextra baculum, clavemque sinistra,
 Edidit hos nobis ore priore sonos:
 Disce, metu posito, vates operose dierum, (1)
 Quod petis, et voces percipe mente meas.
 Me Chaos antiqui (nam res sum prisca) vocabant.
 Aspice, quam longi temporis acta canam.
 Lucidus hic aër, et quae tria corpora restant,
 Ignis, aquae, tellus unus acervus erant.
 Ut semel haec rerum successit lite suarum,
 Inque novas abiit massa soluta domos:
 Flamina petit altum, propior locus aëra coepit,
 Sederunt medio terra, fretumque solo.
 Tunc ego, qui fueram globus, et sine imagine moles,
 In faciem redii, dignaque membra Deo. (2)
 Nunc quoque confusae quondam nota parva figurae,
 Ante, quod est in me, postque videtur, idem.
 Accipe quaesitae, quae causa sit altera formae,
 Hunc simul, ut noris, officiumque meum.
 Quidquid ubique vides, coelum, mare, nubila terras,
 Omnia sunt nostra clausa, patentque manu,

Me penes est unum vasti custodia mundi,
 Et ius vertendi cardinis omne meum est.
 Cum libuit pacem placidis emittere tectis,
 Libera perpetuas ambulat illa vias.
 Sangvine letifero totus miscebitur orbis,
 Ni teneant rigidae condita bella serae.
 Praesideo foribus coeli cum mitibus horis,
 It, redit officio Jupiter ipse meo.
 Utque sedens vester primi prope limina tecti,
 Janitor egressus, introitusque videt.
 Sic ego prospicio coelestis Janitor Aulae
 Eoas partes, Hesperiasque simul.
 Et mihi ne flexu cervicis tempora perdam,
 Cernere non moto corpore bina licet.

Adnot. Ut fingit plerisque in locis huius operis, sibi a Diis explicari causas *Fastorum*, ita hanc Jani repentinam apparitionem apte Poëta excogitavit, et ingeniose. Sacrorum enim, et rerum abditarum, ac vetustate obsitarum causas, et origines reddere, est *Deo nodus vindice dignus*. Ubi ad Jani praesentiam *timore* se Poëta perculsum dicit, vide: quibus signis hunc *timoris effectum* exprimat; ut enim frequentissime hunc *effectum* occurrere leges, ita fere semper diversis signis eum describi experieris. Quod in tuum fructum deriva.

1) *Operosum dierum* vocat Ianus, quod materiam magni laboris per dies mensium describendam adgressus sit. *Fasti* enim, sive *Annales* erant, in quibus Pontifex Maximus notabat res gestas populi Rom. tum pacis, tum belli tempore per singulos dies, et annos, ut acciderant. Hinc Ovidius *Fastos* vocavit hos libros, quod materiam e libris *Fastorum*, id est: e priscis *Annalibus* desumsisset improbo labore eruendam.

2) Hoc idem *Metamorph.* L. I. *Fab. I.* narrat Ovid. delectis, plurimisque circumstantiis descriptum quod hic nude, et minutis adiunctis expressum est.

Monitum. Hic ab initio monendus es, ut clare, dilucideque in *Fastorum* carminibus perspicias, quam

nativa in versibus pulchritudo regnet, quam hi elegantes sine nimia cura! quae eorum lenitas, ut elegos decet. Quam interserantur hic timoris, alibi aliorum affectuum effectus, breves apostrophes, repetitiones earundem vocum, etc. ad ornatum. Doctus tamen Interpres ipsum opus Ovidii evolvat de integro, ut singularis operis praestantiam, eruditionem, rerum nexum, et Poëtae Divinum ingenium multo clarius cognoscat.

E LIBRO I.

A versu 547.

Regnante in Italia *Evandro*, post victum in Hispania *Geryonem*, appulit eo *Hercules* prae se armentum victi Regis agens, ubi insignem eius regionis praedonem *Cacus* e vita exturbavit, victima Jovi oblata, quod publica homines pernīce liberari concesserit,

Mane erat, excussus somno *Tirynthius* hospes, (1)
 De numero tauros sentit abesse duos,
 Nulla videt taciti quaerens vestigia furti,
 Traxerat aversos *Cacus* in antra feros. (1)
Cacus *Aventinae* timor, et infamia silvae,
 Non leve finitimis, hospitibusque malum.
 Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
 Grande, pater monstri *Mulciber* huius erat.
 Proque domo longis spelunca recessibus ingens
 Abdita, vix ipsis inveniēda feris,
 Ora super postes, affixa brachia pendent,
 Squalidaque humanis ossibus albat humus.
 Servata male parte boum, *Jove* natus abibat,
 Mugitum rauco furta dedere sono.
 Accipio revocamen, ait, vocemque secutus
 Impia per silvas ultor ad antra venit.
 Ille aditum fracti praestruxerat obice montis,
 Vix iuga movissent quinque bis illud opus.
 Nititur ille humeris, (coelum quoque sederat illis) (1)

Et vastum metu collabefactat onus,
 Quod simul evulsum est, fragor aethera terruit ipsum
 Ictaque subsedit pondere molis humus.
 Prima movet Cacus collata praelia dextra,
 Remque ferox saxis, stipitibusque gerit.
 Queis ubi nil agitur, patrias male fortis ad artes
 Confugit, et flammis ore sonante vomit.
 Quas quoties proflat, spirare Typhoëa credas, (2)
 Et rapidum Aetneo fulgur ab igne iaci.
 Occupat Alcides, adductaque clava trinodis,
 Ter, quater adversi sedit in ore viri.
 Ille cadit, mixtosque vomit cum sanguine fumos,
 Et lato moriens pectore plangit humum. (2)
 Immolat ex illis taurum tibi Jupiter unum
 Victor, et Evandrum, ruricolaeque vocat.
 Constituitque sibi, quae maxima dicitur, aram, (2)
 Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Adnot. Historice narratum hoc Argumentum perlege etiam apud *Liv. L. I. Num. 7.* Animadvertes foecundum *Ovidii* ingenium in iis convenienter fingendis, quae *Livianae* narrationi adiicit, et ad *possibilem, verosimiliumque* classem transfert. Nec intermiseris *Virgilii Lib. VIII.* eadem de re narrationem inspicere, ac utriusque Poëtae in eodem argumento imaginationis vim, cogitatum, et elocutionis varietatem, pro ratione poëmatum spectare. Uterque omne feret punctum. Nota etiam: breviter multa dici de infami latrone, horrida eius facie, de viribus plus quam humanis utriusque.

(1) *Tiryntius hospes*) Nomen est *Herculis* ab urbe *Tiryus* vicina Argis in Pelopon, ubi educatus est. De numero bouum abactorum aliter loco cit. *Virgil.* Ne mirere autem victi Geryonis armenta *Herculem* abegisse, cum in solis armentis opes eo tempore collocarentur. Vox haec *Ferus*, pro quovis animante legitur. Sic apud *Phaedrum*, pro *Bove*, *Cervo* (pro quo et *Virgil. L. VII. Aeneid.* adhibet) pro *Leone*, *Apro* ponitur. Imo *Aeneid. L.*

II. etiam Equum ligneum sic vocat. Coelum quoque sederat illis.) Dum nempe fesso Atlanto, ut est in Fabulis, coelum humeris interim sustinuisset, Quemadmodum Lib. IX. *Metamorph. Fab. III.* de se ipse ait: *Hac coelum cervice tuli.*

(2) *Typhoëa credas*) Typhoëus fuit unus e Gigantibus, quem a Jove fulmine ictum, et sub Aetna monte tumulatum *Ovid. Metam. L. V.* fabulatur. *Virgilius* autem Aetna obrutum *Enceladum Lib. III. Aeneid. notat. Libro deinde Aeneid. IX.* Typhoëo *Inarimen, Insulam Campaniae impositam* fuisse memorat. *Plangit humum*) plangit, pro: *percutit, verberat.* Hoc sensu est apud *Lucr. L. II.* apud *Ovid.* in *Metam. L. II.* et *Fast. L. IV.* et apud alios. *Quae maxima dicitur, aram*) quam sibi Hercules constituit, postea a Romanis dicta est: *Maxima*, stabatque in foro boario inter montes: *Aventin. Palatin. et Capitol.* de qua *Livius Libro et Num. supra cit.*

E LIBRO I.

A versu 667.

Sacra Cereris, et Telluris, seu Feriae Sementivae, vel Sementinae, ut fruges grandescant, celebratae apud Romanos, cum Agriculae semina terrae mandassent.

Villice! da requiem terrae, semente peracta
 Da requiem, terram qui coluere, viris.
 Pagus agat festum, pagum lustrate coloni,
 Et date paganis annua liba focis.
 Placentur matres frugum Tellusque, Ceresque,
 Farre suo gravidae, visceribusque suis.
 Officium commune Ceres, et Terra tuentur,
 Haec praebet causam frugibus, illa locum.
 Consortes operum, per quas correcta vetustas
 Quernaque glans victa est utiliore cibo,

Frugibus immensis avidos satiate colonos,
 Ut capiant cultus praemia digna sui.
 Vos date perpetuos teneris sementibus auctus,
 Nec nova per gelidas usta sit herba nives.
 Cum serimus, coelum ventis aperite serenis,
 Cum latet, aethera spargite semen aqua.
 Neve graves cultis, Cerealia dona cavete
 Agmine laesuro depopulentur aves.
 Vos quoque subiectis formicae parcite granis,
 Post messem praedae copia maior erit.
 Interea crescat scabrae rubiginis expers,
 Nec vitio coeli palleat aegra seges.
 Et neque deficiat macie, neque pingvior aequo.
 Divitiis pereat luxuriosa suis.
 Et careant loliis oculos vitiantibus agri,
 Nec sterilis culto surgat avena solo.
 Triticeos foetus, passuraque farra bis ignem,
 Hordeaque ingenti foenore reddat ager.
 Hoc ego pro vobis, hoc vos optate coloni,
 Efficiantque ratas utraque Diva preces.
 Bella diu tenere viros, erat aptior ensis
 Vomere, eedebat taurus arator equo.
 Sarcula cessabant, versique in pila ligones,
 Faetaque de rastro pondere cassis erat.
 Sub iuga bos veniat, sub terras semen aratas,
 Pax Cererem nutrit, pacis amica Ceres.

Adnot. Rubiginis expers) De Sacris *Rubiginis* scribit Poëta *Lib. IV, Fast.* a versu 901. Quae ut *Plin. Lib. 18 Cap. 29* ait: ad VII. Cal. Mai peragebantur ad avertendam rubiginem in honorem Deae *Robiginis* vel *Rubiginis*. Etiam Deus *Robigus* colebatur. Ipsa sacra *Robigalia* vel *Rubigalia* dicta sunt, quae Numa Rex instituit. (*Passuraque farra bis ignem*) Olim frumentum prius calore ignis, quam in pristino contritum fuit, torreri solitum constat. Bis ergo ignem far subiit, quam panis inde effectus est.

E LIBRO II.

A versu 85.

Adnot. Lesbii Cytharoedi Nobilis, et Poëtae Lyrici vitam Delphinus conservat, quem in periculo vitae constitutus e profundo maris svariitate cantus excivit. Ob quod beneficium Iupiter Delphinum inter astra retulit, et novem stellas habere iussit.

Quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus?
 Carmine currentes ille tenebat aquas.
 Saepe sequens agnam lupus est hac voce retentus,
 Saepe avidum fugiens restitit agna lupum.
 Saepe canes, leporesque umbra cubuere sub una,
 Et stetit in saxo proxima cerva Leae.
 Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
 Sedit, et accipitri iuncta columba fuit.
 Cynthia saepe tuis fertur vocalis Arion,
 Tanquam fraternis obstupuisse modis.
 Nomen Arionium Siculas impleverat urbes,
 Captaque erat Lyricis Ausonis ora sonis.
 Inde domum repetens puppim conscendit Arion,
 Atque ita quaesitas arte ferebat opes.
 Forsitan infelix ventos, undamque timebas,
 At tibi nave tua tutius aequor erat.
 Namque Gubernator detricto constitit ense,
 Ceteraque armata conscia turba manu.
 Quid tibi cum gladio? dubiam rege navita pinum.
 Non sunt haec digitis arma tenenda tuis.
 Ille metu vacuus, mortem non deprecor, inquit,
 Sed liceat sumpta pauca referre lyra.
 Dant veniam, ridentque moram, capit ille coronam.
 Quae possit crines Phoebe decere tuos.
 Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam,
 Reddidit icta suos pollice chorda sonos,
 Flebilibus veluti numeris canentia dura
 Traiectus penna tempora cantat olor.
 Protinus in medias ornatus desilit undas,
 Spargitur impulsa caerulea puppis aqua,
 Inde (fide maius) tergo Delphina recurvo

Se memorant oneri supposuisse novo.

Ille sedens cytharamque tenet, pretiumque vehendi
Cantat, et aequoreas carmine mulcet aquas,
Dii pia facta vident, astris Delphina recepit
Jupiter, et stellas iussit habere novem,

a) *Adnot.* Exceptum dorso *Arionem* vexit Delphinus ad *Taenarum Laconiae* promontorium, *Perynthus Corynthiorum* tyrannus re cognita nautas comprehendit, et factum non negantes gravi supplicio affecit. *Ita nempe evertit omnem fidem inter homines avaritia, et habendi cupiditas, ut amicus ab amico, hospes ab hospite tutus non sit. Ceterum solatio esse debet innocentibus, cum vident superis se esse curae, et bonam causam in lucem emergere, verissimumque illud esse Senecae: Quod quisque fecit, patitur, auctorem scelus repetit, suoque premitur exemplo nocens.*

b) *Adnot.* Quod hic Ovidius de *Arionis* aut ille, vel alii de *Orphei*, *Amphionis* cantus suavitate admirabili fabulantur, de eorum facundia, et nervosa dicendi facultate accipiendum est, qua rudes homines, et rupium accolae a silvestri vita ad civilem cultum traduxerunt, maximo humanae societatis commodo.

E LIBRO II.

A versu 119.

Nonis Februarii Caesar Octavianus, ob ingenia in populum merita, *Pater Patriae* appellatus est. De qua appellatione *Svet.* in *Caesare Octav.* propter eandem denominationem hae *Nonae Romanis* festivae manserunt.

Nunc mihi mille sonos, quoque est memoratus
Achilles,

Vellem, Meonide, pectus inesse tuum.

Dum canimus sacras alterno pectine Nonas,

Maximus hinc Fastis accumulatur honos.

Deficit ingenium, maioraque viribus urgent,

Haec mihi praecipuo est ore canenda dies.
 Quid volui demens Elegis imponere tantum
 Ponderis? Heroi res erat ista pedis.
 Sancte Pater Patriae, tibi plebs, tibi Curia nomen
 Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen Eques.
 Res tamen ante dedit, sero quoque vera tulisti
 Nomina, iam pridem tu Pater orbis eras.
 Hoc tu per terras quod in aethere Jupiter alto,
 Nomen habes; hominum tu Pater, ille Deum.
 Romule concedas, facit hic tua magna tuendo
 Moenia, tu dederas transilienda Remo.
 Te Tatius, parvique Cures, Caeninaque sensit,
 Hoc duce Romanum est Solis utrumque latus.
 Tu breve nescio quid, victae telluris habebas,
 Quodcunque est alto sub Jove Caesar habet.
 Tu rapis; hic castas duce se iubet esse Maritas
 Tu recipis luco, submovet ille nefas.
 Vis tibi grata fuit, florent sub Caesare leges,
 Tu Domini nomen, Principis ille tenet.
 Te Rsmus incusat, veniam dedit hostibus ille,
 Coelestem fecit te Pater, ille Patrem.

a) *Adnot.* Ex eleganti hoc contrapposito, quod in rebus gestis *Romuli et Caesaris Octaviani* exhibetur, utriusque characterem disce. At huius, graphice, prolixiusque descriptum etiam lege in Svetonio. Ipse contrapositorum sensus ex historia Romana explicandus est. in iisque comparatio inclusa clare ostendet, quantopere efferat Poëta *Caesarem Octavianum* supra conditorem urbis Romanae *Romulum*. Hoc ipsum *Romuli* nomen multi censuerunt *Caesari Octaviano* esse tribuendum, sed praevaluit in Senatu eorum sententia, qui ampliore cognomine *Augusti* dignum iudicarunt, quod nomen religiosis locis conveniebat. Ut Svetonius, et Ovidius *Fast. L. I.* a versu 587 notarunt. Hinc eodem loco diem, ob hanc appellationem *Augusti* Romanis solennem celebrat.

b) *Tu Domini nomen, Principis ille tenet.*) Sve-

tonius inquit: (*Augustus*) Domini appellationem, ut maledictum, et opprobrium semper exhorruit. *Caelestem fecit te Pater, ille Patrem*) Romulum, postquam non apparuit in urbe, inter Deos relatum Patres vulgaverunt. Quod *Mirabile* vero similiter narratur in *Fastis* L. II. a versu 495. Augustus volente populo fecit, ut avunculus Iulius Caesar, qui eum in familiam, nomenque adoptavit, *Coelestis* haberetur. Unde templum quoque Romae in *Magno Foro* eidem est positum; ut decantat Ovid. *Fast.* L. III. a versu 703. Simulacro autem illius *Stellam* fuisse additam testatur Svelon.

E LIBRO II.

A versu 385.

Locus *Lupercal* a Romuli, et Remi nutrice lupa nomen accepit.

Ilia Vestalis coelestia semina partu

Ediderat, patruo regna tenente suo.

Is iubet auferri pueros, et in amne necari,

Quid facis? ex istis Romulus alter erit.

Iussa recusantes peragunt lacrymosa Ministri,

Flent tamen, et geminos in loca iussa ferunt.

Albula, quem Tibrin mersus Tiberinus in unda

Reddidit, hibernis forte tumebat aquis.

Hic, ubi nunc fora sunt, lintres errare videres,

Quaque iacent valles, Maxime Circe! tuae.

Huc ubi venerunt, nec iam procedere possunt.

Longius, ex illis unus, an alter ait.

At quam sunt similes! at quam formosus uterque!

Plus tamen ex illis iste vigoris habet.

Si genus arguitur vultu, (nil fallit imago.)

Nescio quem vobis suspicor esse Deum,

At si quis vestrae Deus esset originis auctor,

In tam praecipiti tempore ferret opem.

Ferret opem certe, si non ope mater egeret,

Quae facta est uno mater, et orba die.

Nata simul, peritura simul, simul ite sub undas

Corpora, desierat, deposuitque sinu.
 Vagierunt clamore pari, sentire putares,
 Hi redeunt udis in sua tecta genis,
 Sustinet impositos summa cavus alveus unda,
 Heu! quantum fati parva tabella vehit,
 Alveus in limo silvis adpulsus opacis,
 Paulatim fluvio deficiente sedet.
 Arbor erat, remanent vestigia, quaeque vocatur
 Rumia nunc ficus, Romula ficus erat.
 Venit ad expositos (mirum) lupa foeta gemellos,
 Quis credat pueris non nocuisse feram?
 Non nocuisse parum est, prodest quoque; quos lupa
 nutrit,

Prodere cognatae sustinere manus.
 Constitit, et cauda teneris blanditur alumnis.
 Et lingit lingua corpora bina sua,
 Marte satos scires, timor abfuit, ubera ducunt,
 Nec sibi promissi lactis aluntur ope.
 Illa loco nomen fecit, locus ipse Lupercis,
 Magna dati nutrix praemia lactis habet.

a) *Adnot.* Locus *Lupercal* fuit spelunca sub monte Palatino, *Luperci* erant Dei *Panis* Sacerdotes: Pan ipse *Lupercus* dictus, quod non sineret *lupos* in oves saevire. *Lupercalia*, fuerunt sacra, quae Romae a *Lupercis* in honorem *Panis* peragebantur XV. Cal. Martii. *Mersus Tiberinus in unda*) Tiberinum Albanorum Regem in *Albula* fluvio demersum fuisse, ab eoque *Tiberis* nomen accepisse fluvium, qui *Albula* prius vocabatur, *Livius* putavit, et hic *Ovidius*. Alii aliter scripserunt. *Maximus Circus*) Locus fuit a *Tarquinio Prisco* Romae extractus inter montes *Aventinum*, et *Palatinum* ludis celebrandis, praecipue decursionibus equestribus accommodatus.

b) Plura sunt ornamenta huius Narrationis, Dignus attentione in exponentibus *Commiserationis* affectus, cuius naturalis commotio venuste, et cum gratia exprimitur. Et illa *adblandientis lupae imago*, *lactis praebitio* non possunt non placere. Or-

nat etiam suo loco adhibita illa *Correctio*, qua pueris feram non nocuisse, imo profuisse potius, inquit.

E LIBRO II.

A versu 641.

Termino Deo Sacra dies fuit X. Cal. Mart. quo *Terminalia* festa instituebantur; hocque carmine eorum ritus exponitur.

Termine! sive lapis, sive es defossus in agro
 Stipes ab antiquis, sic quoque Numen habes.
 Te duo diversa Domini pro parte coronant,
 Binaque sarta tibi, binaque liba ferunt.
 Ara fit, huc ignem curto fert Rustica textu,
 Sumtum de tepidis ipsa colona focis.
 Ligna senex minuit, concisaque construit alte,
 Et solida ramos figere pugnat humo.
 Dum sicco primas irritat cortice flammam,
 Stat puer, et manibus lata canistra tenet.
 Inde ubi ter fruges medios immisit in ignes,
 Porrigit incisos filia parva favos.
 Vina tenent alii, libantur singula flammis,
 Spectant, et lingvis candida turba favent.
 Spargitur et caesa communis Terminus agna,
 Nec quaeritur lactens cum sibi porca datur,
 Conveniunt, celebrantque dapes vicinia simplex.
 Et cantant laudes, Termine sancte! tuas:
 Tu populos, urbesque, et regna ingentia finis,
 Omnis erit sine te litigiosus ager.
 Nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,
 Legitima servas credita rura fide.
 Quid nova cum fierent Capitolia? nempe Deorum;
 Cuncta Jovi cessit turba, locumque dedit.
 Terminus, ut veteres memorant, conventus in aede
 Restitit, et magno cum Jove templa tenet.
 Nunc quoque se supra ne quid nisi sidera cernat,
 Exiguum templi tecta foramen habent.
 Termine! post illud levitas tibi libera non est,

Qua positus fueris, in statione mane.
 Nec tu vicino quidquam concede roganti,
 Nec videre hominem postposuisse Jovi.
 Et seu vomeribus, seu tu pulsabere rastris.
 Clamato: meus est hic ager, ille tuus.

Adnot. Crassa veterum superstitio? dum et *lapidi*, vel defosso in agris *stipiti* Divinitatem attribuerunt. Rigidam illi limitum observantiam tenebant; eosque violare, magni flagitii rem duxerunt. *Tu populos Urbesque etc.* laudes sunt *Termini Dei*, quales exempli gr. innocua vicinorum turba interdapes cantare solita est. *Rustica testu*) vox testu est indeclin. significat operculum fictile ad tegendas ollas, aut alia culinaria vasa. Hunc lapidem. aut stipitem, id est: *Terminum* floreis sertis coronari solitam, lege apud Tibullum L. I. Eleg. 1.

E LIBRO III.

A versu 53.

Vita pastoralis *Romuli et Remi*; Caedes *Amulii*; Initium Auni Romani a *Mense Martio*; Romanorum *Studia* a principio solae bellandi artes cum Deorum reverentia.

Lacte quis infantes nescit crevisse ferino?

Et picum expositis saepe tulisse cibos?

Non ego te tantae nutrix *Laurentia* gentis,

Nec taceam vestras, *Faustule* pauper, opes,

Vester honos veniet, cum *Laurentalia* dicam,

Acceptus genis illa *December* habet,

Martis ter senos proles adoleverat annos.

Et suberat *flavae* iam nova barba comae.

Omnibus agricolis, armentorumque magistris,

Iliadae fratres iura petita dabant.

Saepe domum veniunt *paedonum* sanguine laeti

Et redigunt actos in sua rura boves.

Ut genus audierant, animos pater editus auget,

Et pudet in paucis nomen habere casis.

Romuleoque cadit traiectus Amulius ense,
 Regnaque longaevo restituuntur avo.
 Moenia conduntur, quae quamvis parva fuerunt,
 Non tamen expedit transiluisse Remo.
 Jam modo qua fuerant silvae pecorum recessus,
 Urbs erat, aeternae cum pater urbis ait:
 Arbiter armorum, de cuius sanguine natus
 Credor, et ut credar pignora certa dabo.
 A te principium Romano impertiar anno,
 Primus de Patrio nomine mensis eat.
 Vox rata fit, patrioque vocat de nomine mensem,
 Dicitur haec pietas grata fuisse Deo.
 Et tamen ante omnes Martem coluere priores,
 Hoc dederat studiis bellica turba suis.
 Nondum tradideras victas victoribus artes,
 Graecia, facundum sed male forte genus.
 Qui bene pugnavit, Romanam noverat artem,
 Mittere qui poterat pila, disertus erat.
 Quis tunc aut Hyades, aut Pleiadas Atlanteas
 Senserat, aut geminos esse sub axe polos?
 Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
 Sidoniis, Helicen Graia carina notet?
 Signaque, quae longo frater percenseat anno,
 Ire per haec uno mense sororis equos?
 Libera currebant, et inobservata per annum
 Sidera, constabat sed tamen esse Deos.

a) *Adnot. Nutrix Laurentia*) Acca Laurentia, vel Laurentia Faustuli Regii pastoris uxor, quae Romulum, et Remum nutriebat. In huius honorem Romani *Laurentolia festa*, seu *Accealia* celebrabant, quae se scripsisse Poëta hic innuit mense Decembri, seu Libro XII. *Fastorum*; uti enim menses anni fuerunt XII. ita singulos singulis libris executus est; at sex posteriores interciderunt. Haec *Laurentia* dicitur suo testamento Romanos locupletasse. Licet, quae id fecerit, alteram fuisse Plutarchus tradit in *Romulo*. Quid si Ovidius, quo loco hic pauperis antea Faustuli opum meminit, huic nutrici, et eius marito eas opes testamento

Romanis relictas attribuit? Ceterum potest ille versus de opibus aliter etiam intelligi.

b) *Iliadae fratres*) Patronum, Iliæ filii Romulus, et Remus. Alio nomine Rhea Silvia, hæc eorum mater vocabatur. Numitoris filia fuit. *Victas victoribus artes*) Graecia a Romanis in Provinciam redacta, inde artes liberales in Italiam allatas, etiam Horat. L. II. Epist. meminit: *Graecia capta ferum Victorem coepit, et artes intulit agresti Latio. Hyades, aut Pleiadas Atlanteas*) *Hyades*, stellæ in fronte Tauri septem. Dicuntur pluviae, vel tristes ab Horatio, quod pluvias ferant. Ipsum Graecum Hyadarum nomen, pluere significat. Latinis *Suculae* dicuntur, ut Cicero testatur. *Pleiadae* sunt stellæ inter Arietis finitio- nem, et collum Tauri septem, Latinis *Vergiliae*, a veræ nuncupatae, quod indicant, dum in nostro Hemisphaerio circa aequinoctium oriuntur. *Atlanteas* dicit, quia fabulantur fuisse Atlantis filias.

c) *Esse duos Arctos*) *Arcti*, Triones, seu *Ursae* duae, maior, et minor, sunt duo signa coelestia prope Aquilonem, et circulum hyemalem sita. Utriusque signi stellæ plaustrum, et boves iunctos referunt. *Ursa maior* etiam *Helice* nominatur, quam Graeciae populi in navigando observabant. *Ursa minor*, etiam *Cynosura* dicitur, quam Sidonii, sive Phoenices in navigatione aspiciebant. Alibi quoque de his Ovidius: *Magna, minorque ferae, quarum regis altera Graias, altera Sidonias, utraque sicca, rates.*

E LIBRO IV.

A versu 805.

Festa *Palilia*, in honorem Deae *Palis* a pastoribus peragebantur XIII. Cal. Maii, quo tempore fundamenta urbis Romanae fuerunt posita.

Jam luerat poenas frater Numitoris et omne
Pastorum gemino sub duce vulgus erat.

Select. pro II. Hum.

2

Contrahere agrestes, et moenia ponere, utrique
 Convenit, ambigitur: moenia ponat uter.
 Nil opus est, dixit certamine Romulus ullo,
 Magna fides avium est, experiamur aves.
 Res placet: alter init nemorosi saxa Palatii,
 Alter Aventinum mane cacumen adit.
 Sex Remus, hic volucres bis sex videt ordine, pacto
 Statur, et arbitrium Romulus urbis habet.
 Apta dies legitur, qua moenia signet aratro,
 Sacra Palis suberant, inde movetur opus.
 Fossa fit ad solidum, fruges iaciuntur in ima,
 Et de vicino terra petita solo.
 Fossa repletur humo, plenaque imponitur ara,
 Et novus accenso fungitur igne focus.
 Inde premens stivam designat moenia sulco,
 Alba iugum niveo cum bove vacca tulit.
 Vox fuit haec Regis: condenti Jupiter urbem,
 Et genitor Mavors, Vestaque mater ades.
 Quosque pium est adhibere Deos, advertite cuncti,
 Auspicius vobis hoc mihi surgat opus.
 Longa sit huic aetas, dominaeque potentia terrae,
 Sitque sub hac oriens, occidensque dies.
 Ille precabatur, tonitru dedit omina laevo
 Jupiter, et laevo fulmina missa polo.
 Augurio laeti iaciunt fundamenta cives,
 Et novus exiguo tempore murus erat.
 Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat,
 Sintque, Celer! curae, dixerat ista tuae.
 Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam
 Transeat, audentem talia dede neci.
 Quod Remus ignorans humiles contemnere muros
 Coepit, et hic, populus dicere: tutus erit?
 Nec mora, transiluit, rutro Celer occupat ausum,
 Ille premit duram sangvinolentus humum.
 Haec ubi Rex didicit, lachrymas introrsus obortas
 Devorat, et clausum pectore vulnus habet.
 Flere palam non vult, exemplaue fortia servat,
 Sicque meos muros transeat hostis, ait:
 Dat tamen exequias, nec iam suspendere fletum

Sustinet, et pietas dissimulata patet.
 Osculaque applicuit, posito suprema feretro,
 Atque ait: invito frater adente vale.
 Arsurosque artus unxit, facere, quod ille,
 Faustulus, et moestas Acca soluta comas.
 Tum iuvenem nondum facti flevere Quirites,
 Ultima plorato subdita flamina rogo.
 Urbs oritur. (quis tunc hoc ulli credere posset?
 Victorem terris impositura pedem.
 Cuncta regas, et sis inagno sub Caesare semper.
 Saepe etiam plures nominis huius habe.
 Et quoties steteris domito sublimis in orbe,
 Omnia sint humeris inferiora tuis.

a) *Adnot. Plut. in Romulo.* Natalem diem Romae ad diem XI, Cal. Maii collocat. Qui auctor Numitore sciente factum scribit, quod pueros *Faustulus* sustulerit, ab avoque eorum occulte alimenta acceperit ad Nepotes educandos. Id quoque refert literas etiam, et alia, quae nobili familia natos decent, pueros didicisse Gabiis, ac Romulum postea religiosum fuisse. Quod quidem facile ex eius gestis cognoscitur, et e praesenti quoque narratione. Haec delectare debet aliquot affectuum commotione; ut ex. gr. Amoris tenerrimi, ac *Doloris* in Romulo erga fratrem iam iam igne cremandum, Amabiliter eos exhibet Poëta. Morte etiam fratris occisi cognita Romulum in vehementi doloris sensu fuisse apte exprimit, dum lachrymas introrsus obortas devoravere illum ait, eam tamen vehementiam postea in fletum erupuisse ex ingenti, et naturali amore boni, et e magno dolore eiusdem amissi. Par fere affectuum pictura legentem percellit, quam Poëta adhibet in *Metamorph. Fab. XIII.* Ubi *Hecuba* a Graecis abducta filii *Polydori* corpus a *Polymnestore* occisi in aquas maris abiectum casu invenit.

b) Tota narrationis intelligentia pendeat clara expositione Historiae Romanae ab *Amulii* et

Numitoris temporibus ad conditam *Romam*, et trucidatum *Remum*. Monendus Lector est, ut a versu: *Urbs oritur*: etc. ad finem usque: *inferiora tuis* observet: stilum Poëtam elevasse, cum de Augusto Caesare mentionem facit; idque quam apto loco!

E LIBRO V.

A versu 11.

Unde *Maior* et *Junio* mensibus nomen inditum? Unde Regum *Maiestas*, et erga eosdem, erga Parentes, Seniores, Honoratos *Veneratio* originem sumpsit?

Post chaos, ut primum data sunt tria corpora mundo,
Inque novas species omne recessit opus.

Pondere terra suo subsedit, et aequora traxit,
At coelum levitas in loca summa tulit.

Sol quoque cum stellis nulla gravitate retentus,
Et vos lunares exiluistis equi.

Sed neque terra diu coelo, nec cetera Phoebo
Sidera cedebant, par erat omnis honos.

Saepe aliquis solio, quod tu Saturne tenebas,
Ausus de media plebe sedere Deus.

Et latus Oceano quisquam Deus advena iunxit,
Tethys et extremo saepe recepta loco est.

Donec *Honos*, placidoque decens *Reverentia* vultu
Corpora legitimis, imposuere tholis.

Hinc sata *Maiestas*; hos est Dea censa parentes,
Quaque die partu est edita, magna fuit.

Nec mora, consedit medio sublimis Olympo,
Aurea purpureo conspicienda sinu.

Consedere simul *Pudor*, et *Metus*, omne videres
Numen ad hanc cultus composuisse suos.

Protinus intravit mentes suspectus honorum,
Fit pretium dignis, nec sibi quisque placet.

Hic status in coelo multos permansit in annos.
Dum senior fati excidit arce Deus.

Terra feros partus, immania monstra Gygantes,
Edidit, ausuros in Jovis ire domum.

Mille manus illis dedit, et pro crinibus angves.

Atque ait: in magnos arma movete Deos.
 Extruere hi montes ad sidera summa parabant,
 Et magnum bello sollicitare Jovem.
 Fulmina de coeli iaculatus Jupiter arce,
 Vertit in auctores pondera vasta suos.
 His bene Maiestas armis defensa Deorum
 Restat, et ex illo tempore firma manet.
 Adsidet illa Jovi, Jovis est fidissima custos,
 Et praestat sine vi sceptrata tremenda Jovi.
 Venit et in terras, coluerunt Romulus illam,
 Et Numa, mox alii tempore quisque suo.
 Illa patres in honore pio, matresque tuetur,
 Illa comes pueris, virginibusque venit.
 Illa datos fascas commendat, eburque curule,
 Illa coronatis alta triumphat equis.
 Magna fuit semper capitis reverentia cani,
 Inque suo pretio ruga senilis erat.
 Martis opus iuvenes, animosaque bella gerebant,
 Et pro Diis aderant in statione suis.
 Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,
 Consilio patriae saepe ferebat opem.
 Nec nisi post annos admissa est Curia seros,
 Nomen et aetatis mite Senatus erat.
 Iura dabat populo senior, finitaque certis
 Legibus est aetas, unde paratur honos.
 Et medius iuvenum non indignantibus ipsis
 Ibat, et interior, si comes unus erat.
 Verba quis auderet coram sene digna rubore
 Dicere, censuram longa senecta dabat.
 Romulus hoc vidit, selectaque pectora patres
 Dixit, ad hos urbis summa relata novae.
 Hinc sua maiores posuisse vocabula Maio
 Tangor, et aetati consuluisse suae.
 Nec leve praepositi pignus successor honoris
 Junius, a iuvenum nomine dictus habet.

a) *Adnot.* Dum hic in carmine Poëta allegoricas fictiones ingenio suo foecundissimo invenit, et creat personas: *Honorem*, *Reverentiam*, et ex his

natam: *Maiestatem*; exurgit: *Mirabile*; quod ille prudenter e *Novo* et *Verisimili* componit, ideo fictiones istae singularem declinationem in animo cient. Alioquin congrue etiam, ac rei naturae, et finibus conformiter, imo plane necessario *Maie-statis* lateri personas adiungit: *Pudorem* et *Metum*; attente enim consideranti patebit, his virtutibus, affectibusque hominum coetus felicitatem, rerum ordinem securitatem *etc. etc.* tanquam nexibus contineri. Adeo in fictionum universe omnium, ut iustae, legitimae, delectabilesque sint, proprietatibus illis: *Novitate*, *Verisimilitudine*, *Mirabilitate*. Cavendum, ne *Novum* eo usque proferatur, ut *Verisimile* esse desinat; *Verisimile* autem ne a veritate prorsus discedat, tunc enim nec *Mirabile* iam, sed *incredibile*, tanquam utroque priori attributo carens, exurget.

b) *Et Medius Juvenum*) *Medius* locus in sedendo Romanis, ut quibusdam aliis nationibus, honoratior habebatur. Ita *Claudius Imp.* apud Sveton. *medius* in Curia inter sellas Consulium sedit. Et apud Sallust. de Bello Iugur. Atherbali inter duos *media* sedes honoris causa obtigit. *Ibat et interior*) *In ambulando interior*, neque dexter, neque sinister dicebatur, sed qui vicinior parieti ibat. *Exterior* fuit, qui magis a pariete distabat, et alterius latus tegebat. Hoc sensu etiam Horat. L. II. Sat. 5. *Ne tamen illi Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.* Hinc natum illud apud eundem Horat. et Sveton. *Tergere latus*, et apud Juvenal. *Claudere latus*. Ceterum uberior significatio vocum: *Interior*, et *Exterior* in Dictionariis bonae notae exquirenda. Nam et *Interior Comes*, qui ad dextram; *Exterior Comes*, qui ad laevam sit, bene dicebatur. *Junius a iuvenum nomine*) Libro VI. Fast. *Dea Juno* a suo nomine hunc mensem vocari contendit. *Dea vero Concordia* aliunde repetit libri huius initio.

E LIBRO V.

A versu 451.

Mortuorum animae, seu: *Lemures*; et Sacra
 quae illis VIII. Id. Maii fiebant: *Lemuria*, unde no-
 men acceperunt.

Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras,
 Et male veloci Iusta soluta Remo.
 Faustulus infelix, et passis Acca capillis,
 Spargebant lachrymis ossa perusta suis.
 Inde domum redeunt sub prima crepuscula moesti,
 Utque erat, in duro procubuere thoro.
 Umbra cruenta Remi visa est adsistere lecto.
 Atque haec exiguo murmure verba loqui:
 En ego dimidium vestri, parsque altera voti.
 Cernite, sim qualis, qui modo qualis eram!
 Qui modo, si volucres habuissem regna iubentes,
 In populo potui maximus esse meo:
 Nunc elapsa rogi flammis, et inanis imago,
 Haec est ex illo forma relicta Remo.
 Heu! ubi Mars pater est? si vos modo vera locati,
 Uberaque expositis ille ferina dedit.
 Quem lupa servavit, manus hunc temeraria civis
 Perdidit; O! quanto mitior illa fuit.
 Saeve Celer! crudelem animam per vulnera reddas,
 Utque ego, sub terras sangvinolentus eas.
 Noluit hoc frater, pietas aequalis in illo est,
 Quod potuit, lachrymas in mea fata dedit.
 Hunc vos per lachrymas, per vestra alimenta rogare,
 Ut celebrem festo signet honore diem.
 Mandantem amplecti cupiunt, et brachia tendunt,
 Lubrica prensantes effugit umbra manus.
 Ut secum fugiens somnos abduxit imago,
 Ad Regem voces fratris uterque ferunt.
 Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit
 Illam, qua positis Iusta feruntur avis.
 Aspera mutata est in lenem tempore longo
 Litera, quae toto nomine prima fuit.

Adnot. Inter figuras, quas Poëtae principes imprimis deamant, et mirifice excolunt, *Prosopopoeia* est. Hic *Remi umbra* inducitur alloquens *Faustulum*, et *Accam* suos educatores; vivida sane Poëtae imaginatione est haec figura concepta cum consortio aliorum etiam *Affectum*: ideo maiori vi delectat, et movet. Eruditus praeceptor etiam *Festa Feralia* manibus praestari solita Mense Febr. e Libro II. *Fast.* a versu 535 inspiciet, et usum faciet ad Ritus Romanos conducentem; ad quorum accuratam explicationem, quae huic Scholae peculiariter benignis Ordinationibus Regiis attributa est, multum prodesset (uti etiam ad auctores diversos recte exponendos) totum hoc opus Ovidii familiariter usu, et attenta lectione pernoscere.

DELECTUS
EX ALBII TIBULLI

Libris IV. Elegiarum.

ALBIUS TIBULLUS

Natus est Romae; et, uti quidam aiunt, eodem quo Ovidius anno, Hirtio et Pansa Coss. Alii triginta aliquot annis Ovidio eum priorem affirmant. Ipse Ovidius L. 4. Trist. Eleg. 10 temporis serie a Tibullo, Gallo, Propertio quartum se esse testatur. Parentes habuit Equestri Ordinis, qui belli, pacisque gloria illustres fuerunt. Quod autem ipse tum ingenio facili, tum egregia forma commendaretur, nobiliores civitatis viros sibi conciliavit; in quorum numero praecipuus fuit Corvinus Messala, qui mirifice, et assiduo studio eum fovit. Huius laudes insigni Panegyrico celebrat. Horatium Flaccum, et Macrum Poëtam, librorum de herbis scriptorem familiariter coluit; hinc Horat. Epistolam IV, Li-

bri I. eidem inscripsit, in qua bona eius animi, et corporis dilaudat. Fortunae, temporumque conditione iniqua factum: ut cum satis opum haberet, prout in carmine ad Messalam fatetur, ad pauperlatem redactus fuerit. Dum eundem Messalam comes in Provinciam sequebatur, morbo correptus in Insula Phaeacum obiit florente aetate, cum maximo Ovidii moerore, qui scripta Elegia deflet immaturum illius obitum, magnaque literarum iactura decessisse luget. Quatuor Libros carminum reliquit versu candido, et eleganti. Nimis dolendum est, multa ex iis, quae ingeniose finxit, et suaviter elocutus est, non tam rationalis hominis delectationi, perfectionique prodesse, quam vitiorum inflammationi, et depravati cordis cupiditati excitandae. Quae delectatio hominem ad animalium, brutorumque conditionem deprimit.

Quintilianus Tibullum tersum, et elegantem Poëtam habet; Lilius Gyraldus palmam in Elegiis ei tribuit. Julio Caes. Scalig. omnium cultissimus, nec redundans; Jacobo Gaddio in affectibus exprimendis excellens, numerosaque dulcedine, ac venusta animos legentium detinere, nec serpere, ut interdum Ovidius, videtur, quem tamen ingenii acumine, et divite vena, torrentis instar exundante, superiorem agnoscit. In optimis editionibus sunt, quae cum Catullo, et Propertio prodierunt: In usum Delphini Paris. 1685. in 8. et Paris. 1723 in 4. Traiecti ad Rhen. 1680, in 8. cum Praefat. Graevii, sed non satis emendate. Patavii 1710 in 4 iterum Ibid. 1744. in 4 Lips. 1755. in 8. Editus etiam aliquoties separatim.

Bene meriti de Tibullo sunt suis commentariis: M. Anton. Muretus; Achilles Statius Lusitanus, Ios. Scaliger, Janus Dousa, Joannes Broukhuisius, Nic. Heinsius, Vulpius, Christ. Gottl. Heynius,

LIBRI I. ELEGIA III.

Ad Messalam.

Hunc proficiscentem in Ciliciam, morbo correptus in Phaeacia, (*nunc Corcyra*) ultra comitari non potuit. *Orat, ut illius sit memor, se vero salvum Romam reverti cupit. Qua occasione invehitur in navigationem per maria, et si fata ei mortem destinarunt, sepulchri sui inscriptionem designat.*

Ibitis Aegaeas sine me Messala per undas,
 O! utinam memores ipse, cohorsque mei.
 Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris.
 Abstineas avidas, mors, precor, atra manus.
 Abstineas mors atra, precor, non hic mihi mater,
 Quae legat in moestos ossa perusta sinus.
 Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,
 Et fleat effusis ante sepulchra comis.
 Delia non usquam, quae me cum mitteret urbe,
 Dicitur ante omnes consuluisse Deos.
 Illa sacras pueri sortes ter sustulit, illi
 Retulit e triviis omnia certa puer.
 Cuncta dabant reditus, tamen est deterrita nunquam,
 Quin fleret nostras, respiceretque vias.
 Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem,
 Quaerebam tardas anxius usque moras.
 Aut ego sum causatus aves, aut omnia dira,
 Saturni aut sacram me tenuisse diem.
 O! quoties ingressus iter, mihi tristia dixi,
 Offensum in porta signa dedisse pedem.
 Quid tua nunc Isis tibi Delia? qui mihi prosunt
 Illa tua toties sinistra repulsa manu?
 Nunc Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi
 Picta docet templis multa tabella tuis,
 Ut mea votivas persolvens Delia noctes
 Ante sacras lino tecta fores sedeat.
 Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes,
 Insignis turba debeat in Pharia.
 At mihi contingat patrios celebrare Penates.

Reddereque antiquo menstrua thura Lari.
 Quam bene Saturno vivebant Rege, priusquam
 Tellus in longas est patefacta vias.
 Nondum caeruleas pinus contemnerat undas,
 Effusum ventis praebueratque sinum.
 Nec vagus ignotis repetens compendia terris,
 Presserat externa navita merce ratem.
 Illo non validus subiit iuga tempore taurus,
 Non domito frenos ore momordit equus.
 Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
 Qui regeret certis finibus arva lapis.
 Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
 Obvia securis ubera lactis oves.
 Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses
 Immiti saevus duxerat arte faber.
 Nunc Jove sub Domino caedes, et vulnera semper,
 Nunc mare, nunc leti mille repente viae.
 Parce pater, timidum non me periuria terrent,
 Non dicta in sanctos impia verba Deos.
 Quod si fatales iam nunc explevimus annos,
 Fac, lapis inscriptis stet super ossa notis:
Hic iacet immiti consumtus morte Tibullus,
Messalam terra, dum sequiturque mari.

a) *Adnot.* Proficiscebatur Messala in Ciliciam bellum gesturus, ut ipse Tibul. Eleg. I. ait: *Te bellare decet terra Messala marique*; et ibidem; *Ille, licet, Cilicum victas agat ante catervas*. Huc itaque invitavit Poëtam nostrum ad suum contubernium. *Ille sacras pueri sortes ter sustulit, et triviis* — puer.) Sortes erant signa, quae dabantur alicui puero de trivio; quae si convenerant ei signo, quod ille, qui sortes dederat, habebat in animo, tunc bene secum agi putabant; et hoc fuit sortes tollere. Ter autem, ut quod tertium addixisset, id certissimum omen haberetur. Ideo et Ausonius videtur dixisse: *omina trina. Puer de trivio esse debuit, id est: ignotus, ne sciens, et prudens aliquid eorum facere videretur.* Idem significabat

apud veteres: de viro Auspices, idem de Cyrco Astrologi. *Deterrita nunquam quin fletet,*) deterreo verbum, in quo significatu hic sit, disce e Dictionariis; nempe, etiam pro: *revoco, avoco, avertito, prohibeo* accipitur.

b). *Quid tua nunc Isis?* etc.) Isis, alias Io Inachi filia Aegyptios literas, agriculturam, lini usum docuit, a quibus post mortem inter Deos relata est, eademque et sacerdotes, et sacra peculiaria habuit. Romaeque etiam culta fuit. Sacerdotes illius *lineis vestibus* utebantur, et in sacris *lineum* tegumentum adhibebatur. Sistrum quoque seu crepitaculum aereum in sacris Isidis pulsabatur. Prima diei hora sacerdotes templum aperiebant, tumque Deam salutabant, quae dicta est: *salutatio*, postea toto die stipem mendicabant, ac hora octava templum claudebant, et Deam componebant; atque hoc fuit: *bis dicere laudes*. Quod et Apuleius in *Fabula Milesia*, et Arnobius L. 7. salse rident. *Saturni aut Sacram* etc.) Saturnalia agebantur cum continuis epulis, et comessationibus, et erant dies pleni laetitiae, qualibus se impeditum fuisse etiam Tibullus dicit; aut praemonitione avium, quarum volatus, cantus, seu garritus, pastus, et diversus earum se gerendi modus consulebatur; aut aliis sinistris ominibus, quae e plurimis in vita communi signis capiebant, retentum se domi ait. Uti multas causas praetendere solent, qui se ab adiunctis sibi charis separari nollent. *Picta tabella docet,*) *Qui voti damnabantur, pictas tabellas sui voti in templo Dei appendebant, cuius opem se putabant sensisse.*

LIBRI I. ELEGIA XI.

In Armorum Inventores.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
 Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!

Tunc caedes hominum generi, tunc praelia nata,
Tunc brevior dirae mortis aperta via est.
At nihil ille miser metuit, nos ad mala nostra
Vertimus, in saevas, quod dedit ille, feras.
Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus adstabat, cum Scyphus ante dapes,
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere?
Sed patrii servate lares, aluistis et iidem,
Cursarem vestros quum tener ante pedes.
Neu pudeat priscae vos esse e stipite factos.
Sic veteres aedes incoluistis avi.
Nunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede Deus.
His placatus erat, seu quis libaverit uvam.
Seu dederat sanctae spicea sarta comae.
Atque aliquis voti compos liba ipsa ferebat.
Postque comes purum filia parva favum,
At nobis aerata, lares, depellite tela,
Hostia erit plena rustica porcus hara,
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
Vincta geram myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis; alius sit fortis in armis,
Sternat et adversos Marte favente duces.
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est, atram bellis arcessere mortem?
Imminet et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
Cerberus, et Stygiae navita turpis aquae.
Illinc erasisque genis, ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole beatum
Occupat in parva pigra senecta casa.
Ipse suas sectatur oves, et filius agnos,

Et calidam fesso comparat uxor aquam.
 Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
 Temporis et prisca facta referre senem.
 Interea pax arva colat, pax candida primum
 Duxit araturos sub iuga curva boves.
 Pax aluit vites, et succos condidit uvae,
 Funderet ut nato testa paterna merum.
 Pace bidens, vomerque vigent, at tristia duri
 Militis in tenebris occupat arma situs.
 At nobis pax alma veni! spicamque teneto,
 Praefluat et pomis candidus ante sinus.

Adnot. Vallus) Idem ac sudas, seu, palus, cuiusmodi est, cui vitis alligatur, et quo castra muniiebantur. Hinc etiam pro ipso castrorum aggere accipitur, sed tunc usitatius neutro genere dicitur. *Hostia erit — rustica porcus hora*) Hostia familiaris larium fuit: *Porcus* Hostia rustica vocatur propter Cererem, ut notum ex *Fast. L. I. v. 549*. Festum *Compitalium* peragebatur in compitis in honorem *Larium Compitalium* die 11. Januarii, vel ut alii volunt: XI. Calen. Januar. *Myrto vinctus*.) Arbor sacra Veneri, eximiae pulchritudinis, et odoris; adhibebant eam Veneris cultores, convivae, ac ovantes etiam, imo et nuptias celebrantes. *Cerberus* canis triceps ad limen Inferorum, ut in Fabulis. *Stygiae aquae navita*) Charon est, qui animas corpore solutas navicula transportat ad infernas sedes. *Frasisque genis*.) Alibi legitur: *percussis*, *perscissis*, vel forsan: *percisis*, ut apud Martialem: *Os tibi percisum est*.

LIBRI II. ELEGIA V.

Phoebi invocatio ad vota *Messalino* dicenda, cum ad sacrum Quindecim Virorum Collegium cooptatus est, quorum munus fuit etiam Libros Sibyllinos interpretandi, quoties dubia Reipubl. tempora inciderunt,

Phoebe fave! novus ingreditur tua templa **Sacerdos**,
Huc, age, cum Cythara, carminibusque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.
Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus, pulcherque veni, nunc indue vestem
Sepositam; longas nunc bene pecte comas.
Qualem te memorant, Saturno Rege fugato,
Victori laudes concinuisse Jovi.
Tu procul eventura vides, tibi debitus augur
Scit bene quid fati provida cantet avis.
Tuque regis sortes, per te praesentit aruspex,
Lubrica signavit quum Deus exta notis.
Te duce Romanos nunquam frustrata Sybilla est,
Abdita quae senis fata canit pedibus.
Phoebe! sacras Messalinum, sine, tangere chartas
Vatis, et ipse, precor, quod canat illa, doce.
Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
Dicitur et raptos sustinuisse Lares.
Haec fore credebat Romam, quum moestus ab alto
Ilion, arduentes respiceretque Deos.
Haec fore dicebat, belli mala signa cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis.
Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia coelo
Audita, et lucos praecinuisse fugam.
Ipsam etiam Solem defectum lumine vidit,
Jungere pallentes nubilus annus equos.
Et simulacra Deum lachrymas fudisse tepentes,
Fataque vocales praemonuisse boves.
Haec fuerant olim: sed tu iam mitis Apollo,
Prodigia indomitis merge sub aequoribus.
Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis:
Omne quo felix et sacer annus erit.
Laurus Io! bona signa dedit, gaudete coloni,
Distendet spicis horrea plena Ceres.
Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum magni deficiuntque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor

Concinet, a stabulis tunc procul esse lupi.
 Ille levis stipulae solennes potus acervos
 Accendet, flammam transilietque sacras.
 Et foetus matrona dabit, natusque parenti
 Oscula compressis auribus eripiet.
 Nec tedebit avum parvo advigilare nepoti,
 Balbaque cum puero dicere verba senem.
 Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,
 Arboris antiquae qua levis umbra cadit.
 Aut e veste sua tendent umbracula sertis
 Vincata coronatus stabit, et ipse calix.
 At sibi quisque dapes, et festas exstruet alte
 Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
 Pace tua pereant arcus, pereantque sagittae.
 Phoebe! modo in terris regnet inermis amor.
 Ut Messalinum celebrem, quum praemia belli,
 Ante suos currus oppida victa feret.
 Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti
 Miles Io! magna voce, triumphem canam.
 Tunc Messala meus pia det spectacula turbae,
 Et plaudat curru praetereunte pater.
 Annue, sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
 Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

a) *Adnot.* *Novus ingreditur tua templa Sacerdos.*) Messala ad Quindecim Virorum Collegium cooptatus, quorum fuit libros Sibyllinos interpretari, ut dictum iam. De Quindecim his viris, de libris Sibyllinis plura e Romana Historia evolvit doctus Praeceptor; sicuti et id, quae celebriores fuerint Sibyllae, quae Numine Apollinis correptae vaticinabantur. De quibus *Carol. Ruæi* notae in Virgil. Aeneid. L. VI. v. 36. satis prolixè agunt. Et Historiam earum Gellius L. I. C. 19 conservavit. Ex his Cumana versu sex pedum respondebat. Itaque hanc ob causam precatur Poëta, ut Messalae Phoebus genuinum sensum suggerat librorum, qualem Sibyllis inspiravit. Notum et illud est e L. VI. Aeneid. ad Cumanam Sibyllam

Aeneam accessisse. Haec ad plura loca carminis huius illustranda.

b) *Debitus augur*) legunt alii *deditus*. At Horat. dixit: *Debitae Nymphis opifex coronae*. Augures ex avium observatione, prout alio loco explicuimus, futura divinabant. *Haruspices* ex hostiis inspectis. Quando *belli mala praedicta per apparitionem Cometae*, aut per *strepitantia in caelo arma*; quando *luci praemonuerunt futuram Romani exercitus fugam!* quando *solis defectus portendebat secutura mala*, vel *simulacra lachrymantia*, vel *brutorum animantium voces*, id quoque in Hist. Rom. praesertim Livii, inveniet carminis huius interpres. *Crepitet bene laurea flammis.*) E lauro etiam flammis iniecta capiebatur omen, quae in igne *crepitans* bonum omen, *tacita* vero malum significabat. *Sua Festa Palilia pastor concinet.*) Haec festa, eorumque ritus videri potest L. IV. Fastor. Ovidii, uti et *Ludorum Cerealium*, qui singulari elegantia describuntur. *Umbacula sertis*) non *sertum i*, sed *serta sertae*, est funis, vel vestis. *Oscula compressis*) vetus mos scribendi, pro : *comorensis*; ut *Coss.* pro : Consules; *Cess.* pro : Censores.

LIBRI III. ELEGIA V.

Ad amicos, in calidis Hetruriae aquis lavantes, scribit aegrotare se quidem, mori tamen nolle in florentissima aetate.

Vos tenet Hetruscis manat quae finibus unda,
 Unda sub aestivum non adeunda canem.
 Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,
 Cum se purpureo vere remittit hiems
 At mihi Persephone nigram denunciat horam,
 Immerito iuveni parce nocere Dea.

Select. pro II. Hum. 5

Non ego tentavi, nulli temeranda virorum.
 Audax laudanda sacra docere Deae.
 (Nec mea mortiferis infecit pocula succis)
 Dexterâ, nec cuiquam tetra venena dedit.
 Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes,
 Nec cor sollicitant facta nefanda meum.
 Nec nos insanæ meditantis iurgia lingvæ:
 Impia in adversos solvimus ora Deos.
 Ei nondum cani nigros læsere capillos,
 Nec venit tardo curva senecta pede.
 Natalem primo nostrum videre parentes,
 Quum cecidit fato Consul uterque pari.
 Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis?
 Et modo nata mala vellere poma manu?
 Parcite pallentes umbras quicumque tenetis,
 Duraque sortiti tertia regna Dei.
 Elysios olim liceat cognoscere campos,
 Lethæamque ratem, Cimeriosque lacus.
 Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
 Et referam pueris tempora prisca senex.
 Atque utinam vano nequicquam torreat aestu,
 Langvent ter quinos, sed mea membra dies.
 At vobis Thuscæ celebrantur numina lymphæ,
 Et facilis lenta pellitur unda manu.
 Vivite felices, memores et vivite nostri.
 Sive erimus, seu nos fata fuisse velint.
 Interea nigras pecudes, promittite Diti,
 Et nivei lactis pocula mista mero.

a) *Adnot. Unda sub æstivum* etc. Sub canicula hæc aquæ calidæ non erant adeundæ; a vere autem nullæ aquæ iis comparandæ. *Sacris Baiarum maxima lymphis*) Baiæ oppidum Campaniæ inter Cumam et Puteolos, locus amœno situ, et calidis aquis celeberrimus. Ab his ergo Baianis aquis, omnes reliquæ vocabantur Bajæ. Inter multas Hetruriæ, quæ *maxima*, seu laudatissima Baiarum hic intelligitur, non constat. *At mihi Persephone*) seu Proserpina, quæ credebatur morituris capillum resecare, nec aliter posse animam

corpore exolvi. Huc alludit Virgil. L. IV. Aeneid. *Nondum illi flavum*, etc. Et Martial. L. III. Epigr. 45. Macrob. Saturnal, L. V. quaedam eximia habet de illo crinem rescindendi modo. *Sacra docere Deae*) *Sacra Cereris*, et *Proserpinae* vulgare nefas fuit.

b) *Tetra venena*) alii legunt: *trita venena*. *Nec nos Sacrilegos templis admovimus ignes*.) Sacrilegii causa, vel ergo. *Natalem nostrum*, etc.) Natus ergo eo anno, quo Augustus ad Mutinam contra Antonium bellavit, in quo praelio uterque Consul Augusto addictus vitam amisit. Hirtius in acie cecidit, Pansa in vulnere accepto postea obiit. Ovidius Libr. IV. Trist. Elegia 10. iisdem plane verbis testatur suum natalem annum. Hinc viderint, qui Tibullum priorem aetate faciunt. *Tertia regna Dei*) *Regna Inferorum*, quae Plutoni obvenerunt: nam coelum Jupiter, aquas Neptunus, duo Plutonis fratres sorte consecuti sunt, ut in fabulis. *Cimerii lacus*) pro infernis, et caliginosis ponuntur; causam cognosces, si in Dictionariis legeris, qui Cimerii populi. *Interea nigras pecudes* etc.) *Nigras pecudes Diis inferis oblatas fuisse* constat e ritibus Rom.

DELECTUS

E SEX. AUREL. PROPERTII.

Libris IV. Elegiarum.

Praevia de eius Poësi Notitia.

Damus hic brevem e Propertii carminibus delectum, ut iuvenes Poëticae stu-

diosi inter stilum, ingeniumque Ovidii, Tibulli, ac Propertii discrimen tempestive ductu Informatoris agnoscere consuecant. Nam cum ille se totum ad imitandos Poëtas Graecos: Callimachum, et Philetam Coum, qui omnium consensu in Elegia praestiterunt, tradidisset, eandem laudem apud Latinos quorundam sententia in Elegiis retulit. Fabius autem Quintil. Censor in literis acerrimus, cum Tibullum maxime videatur commendare, non deesse tamen dixit: qui Propertium malint. Ovidius ipse blandum, tenerum, dulcem saepe appellat, multumque eius carmini concedit. Posteriorum temporum quidam eruditi viri in tota antiquitate dulcioris eruditionis scriptorem ante Propertium fuisse negant. Quidam licet in eo infinita dicendi genera e Graeco expressa, et duriusculas ampullas invenire sibi videantur, simul tamen carmina, eius nobilissimo stilo elaborata, ingenue fatentur. Sed iam de vita eius breviter dicendum: postquam monuero prius, hunc etiam, uti Tibullum, depravati animi cupiditatibus instigandis scribendo servivisse.

Brevis vitae, ac operum cognitio.

Propertius UMBER fuit. De loco natali disputatur. Is cum in tenera aetate patrem amisisset, amissis quoque magna

ex parte bonis paternis, Romam se contulit, ubi brevi tempore carminum elegantia, et ingenii comitate in celebritatem nominis venit. Acceptissimus Maecenati, et Cornel. Gallo fuit; cum Ovidio autem, Tibullo, et pluribus Poëtis familiariter vixit. De obitu eius parum compertum est. Traditur annos natus duos, et quadraginta obiisse. Exstant eius Elegiarum Libri IV, quod opus cum in diuturna obscuritate latuisset per incitiam temporum, tandem absumtis, et longo situ corrosis literis in lucem protractum mendose typis exscribebatur, donec errores plurium doctorum studio discussi, et correcti sunt. Quos inter emi-
 nuerunt iam superius in Tibullo nominati: M. Ant. Muretus, Janus Bruckhusius, Heinius, Jos. Scaliger, etc. Pet. Burmannus in Praef. erudita ad Lotichii Poëmata, de Pentametrorum clausulis Polysyllabis. eorumque ratione; item qualis commentarius in Propertium optandus, et an Propertius Elegiae sit Princeps, disputat, in ipsisque ad Lotichium notis saepe Propertium vel emendat, vel illustrat. Editiones probatiores, quae simul Catullum; et Tibullum adiunctum habent, aliquot (plures enim usu discendae sunt) in Tibullo enumeravimus; hic de iis, quae hunc separatim praebent, quaeque perpaucae sunt, loquimur; Amstel. An. 1702 in 4. cum Jani Brouckhu-

sii indice vocabulorum, eademque repetita novis curis Amstel. 1724. in 4. Iterum Joan. Ant. Fulpius edidit cum Passeratii, et Brouckhusii notis selectis, et erudito commentario suo in 4. Vol. II. An. 1755. qualem in Catullum, et Tibullum dederat.

LIBRI III. ELEGIA I.

Res hominum cum maxima gloria gestae Scriptorum ingeniis immortalitatem consequuntur, et ipsa scriptorum ingenia a posteritate.

Callimachi manes, et Coi sacra Philetæ,
 In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
 Primus ego ingredior puro de fonte Sacerdos
 Itala per Graios Orgya ferre choros.
 Dicite: quo pariter carmen tenuastis in antro?
 Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam?
 Ach valeat! Phoebum quicumque moratur in armis,
 Exactus tenui pumice versus eat.
 Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
 Qui finem Imperii Bactra futura canent.
 Sed quod pace legas, opus hoc de monte sororum
 Detulit intacta pagina nostra via.
 Mollia, Pegasides, vestro date sarta Poëtae,
 Non faciet capiti dura corona meo.
 At mihi quid vivo detraxerit invida turba,
 Post obitum duplici foenore, reddet honos.
 Omnia post obitum fingit maiora vetustas,
 Maius ab exequiis nomen in ora venit.
 Nam quis equo pulsas abiegnos nosceret arces?
 Fluminaque Hemonio cominus iisse viro?
 Idaeum Simoënta Jovis cunabula parvi?
 Hectora per campos ter maculasse rotas?
 Delphobumque, Helenumque, et Polydamanta sine
 armis,

Qualemcunque Parin vix sua nosset humus.
 Exiguo sermone foret nunc Ilion, et tu
 Troia bis Oetaei numine capta Dei.
 Nec non ille tui casus memorator Homerus.
 Posteritate suum crescere sensit opus.
 Meque inter seros laudabit Roma Nepotes,
 Illum post cineres auguror esse diem.
 Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulchro,
 Provisum est Lycio vota probante Deo.
 Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
 Nec Jovis Elaei coelum imitata domus,
 Nec Mausolei dives fortuna sepulchri,
 Mortis ab extrema conditione vacat.
 Aut illis flamma, aut imber, subducet honores,
 Annorum aut ictu pondera victa ruent.
 At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
 Excidet, ingenio stat sine morte decus.

a) *Adnot.* Qui finem Imperii Bactra, etc.) Bactra regionis Bactrianae in Asia urbs praecipua; pars olim Imperii Persici. *Non faciet Capiti*) Non conveniet, non proderit. *Maius ab exequiis nomen in ora venit*) Hanc ipsam sententiam diversismodis Poëtae efferunt. Ut e. g. Ovid. de Pon. El. 16. *Nam quis equo pulsas abiegno*) Equum istum varii varie explicant, quid esse potuerit. Propertius videtur machinam, cuiusmodi erat Aries, intelligere, qua muri subruebantur. Alii aliter, uti et Virgil, II. Aeneid. qui equum ligneum fuisse memorat. Plinius idem Propertio videtur sentire. Ergo pulsae equo abiegno arces, erant Troianae, et Hemonius vir, fuit Rhesus Thraciae Rex, qui Troianis auxilio veniebat, ducens secum equos, qui si fluminis Xanthi aquas degustassent, Troiam salvam fore oracula praedixerunt. Sed res aliter evenit, (*Quod suppleat interpres e Virgilii L. I. Aeneid. a versu 475*) Nam licet Rhesus iam prope Xanthum fluvium fuerit, equi tamen inde ad-aquari non potuerunt, quod Rex nocte veniens

urbem clausis portis non intraverit. Adverbium: *Cominus*, idem est, ac: *prope*; et regit hic casum instar praepositionis. Uti et alio loco apud eundem Propertium.

b) *Idaeum Simoënta*) *Simois profluens e monte Ida Troiae vicino. Quaecunque de cunabulis Jovis in Ida Cretae referuntur, quidam cum Ida Phrygiae confundunt, ut eruditus Scriptor Strabo habet. E Creta enim et sacra Cybeles, et nomen montis huc translatum est. Hectors per campos etc.*) Hector ab Achille occisus, et bigis alligatus circa tumulum Patrocli, et moenia Troiae raptabatur terno circuitu. Raptatum fuisse et Virgil. L. I. Aeneid. v. 487. testatur. *Delphobumque, Helenumque,*) horum Historia e Virgilio exponenda est. *Et Polydamanta sine armis.*) Fuit Antennoris Troiani filius, quem Homerus nulla belli, et armorum gloria potentem, sed eloquentia celebrem inducit. *Qualemcunque Parin*) Paridis Historia nota. *Ilion*) Ilium urbs Phrygiae minoris praecipua, sic dicta ab Ilo Rege: uti Troia a Troe: Dardania a Dardano, Teucra a Teucro Regibus. Plura de hac urbe in Virgilio occurrunt. *Troiae bis Octaei numine capta Dei*) Bis capta ab Hercule traditur. Et Seneca in Troade bis ab eo captam notat. Alii semel tantum. Quod factum est Laomedontis Regis tempore, quinquagesimo primo anno ante ultimum excidium. Hanc expugnationem ab Hercule descripsisse fertur Poëta Camerinus, de quo Ovid. L. 4 de Ponto Eleg. 16.

c) *Pyramidum sumtus*) Aegyptiorum Regum Opus, et sepulcra fuerunt: Pyramides, quarum quaedam inter orbis miracula numeratae sunt. Describit eas Herodot. L. II. *Lycio vota probante Deo*) Apollo in silva Lyciae, quae fuit Asiae minoris Provincia, habuit Delubrum, cuius praecipua civitas fuit Patara, ubi etiam colebatur, et oraçula edebat;

ideo Lycius Deus, vel Patarcus vocatur Apollo frequenter apud Poëtas. *Nec Jovis Eiei.*) Elis, et Pisa, vel Olympia, urbes sunt Elidis regionis in Peloponeso, ubi fanum Jovis Olympii fuit, et celebritas ludorum Olympicorum in campo Olympia dicto, et iuxta has duas urbes sito. Inter praecipua opera Phydiae, nobilis statuarii, fuit Jupiter Olympius. *Nec Mausolei dives fortuna sepulcri.*) Mausolus fuit Cariae Rex, cui mortuo uxor Artemisia tanta magnificentia sepulcrum extruxit, ut inter septem mundi miracula numeratum sit, Mausoleumque appellatum. Inde sumtuosa sepulcra id nomen obtinuerunt.

d) *Ingenio stat sine morte decus*) Hac plane sententia, sed pluribus cogitatibus amplificata Ovidius terminat Librum XV. *Metamorph.* Eodem sensu Horat. Librum III. *Odarum* finit, imo L. II. ultima eundem scopum habet. Confer haec loca, et animadvertite, quam eadem sententia plurium adiunctorum enumeratione, plurium imaginum picturis distincta, videatur in novam sententiam abire. Qualis observatio, simulque imitatio multum in literis prodest.

LIBRI III. ELEGIA III.

Vaticinatur triumphum Augusto Caesari de Oriente, expiandasque clades, quas Parthi Romanis, praesertim Crasso intulerunt, praedicit.

Arma Deus Caesar dites meditatur ad Indos,
 Et freta gemiferi findere classe maris.
 Magna viri merces, parat ultima terra triumphos,
 Tigris et Euphrates sub tua iura fluent.
 Sera sub Ausoniis veniet Provincia virgis,
 Assvescent Latio Partha trophea Jovi.
 Ite, agitae expertae bello, date lintea prorae,
 Et solitum armigeri ducite manus equi,

Omnia fausta cano: Crassos, cladesque piate;
 Ite, et Romanae consulite Historiae.
 Mars pater, et sacrae fatalia lumina Vestae,
 Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
 Qua videam spoliis onerato Caesaris axe;
 Ad vulgi plausus saepe resistere equos.
 Inque sinu cari nixus spectare sodalis
 Incipiam, et titulis oppida capta legam.
 Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,
 Et subter captos arma sedere Duces.
 Ipsa tuam prolem serva Venus, hoc sit in aevum,
 Cernis ab Aenea, quod superesse caput.
 Praeda sit haec illis, quorum meruere labores,
 Me sat erit sacra plaudere posse via.

a) *Adnot.* De hac expeditione Indica etiam Virgil. Georg. L. II. *Et te maxime Caesar, qui nunc extremis Asiae iam victor in oris imbellem avertis Romanis arcibus Indum.* Post bellum Alexandrinum, Antonio et Cleopatra interentis, per Syriam venit in Asiam ibi hiematurus, quo tempore de Parthia contendentes Tiridatem, et Phraatem terrore victoriarum composuit, a Parthis Armeniam, et signa militaria Crasso antea, et Antonio erepta, recuperavit; Indos, et Schythas fama moderationis ad amicitiam petendam pellexit. Atque tunc maxime divinos honores, et templa sibi fieri passim permisit. Ut constat e Dione L. V. Hinc Romae etiam in Comitibus Genius Augusti eo vivo adorabatur. Ideo Propertius hic Caesarem vocat: *Deum*, et Ovidius saepius *Coelitem*, et Horatius dixit: *Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.*

b) *Tigris et Euphrates*) fluvii Asiae. *Sera* sub *Ausonis*) populi Seres in Asia; quorum metropolis fuit *Sera*, celebres serico opere. Regio *Serica*, nunc *Catay* dicitur. *Crassos, cladesque piate*) eadem Romanis inflictam a Parthis legere poteris in Floro Lib. III. C. II. exercitusque miserabili

strage deletos, et reliquias per Armeniam, Ciliciam, Syriamque dispersas fuga, distractasque; quas Phraates collectas per hoc tempus Octaviano remisit. *Sacra via*) qua ibatur in Capitolium, et Palatinum, per quam triumphalis pompa procedere solita est. *Sacra* dicta, vel quia singulis mensibus per eam ferebantur in arcem sacra, vel quia in ea foedus sanxerant Romulus, et Tadius. *Sacra-vienses* vocati nobiles, qui per eam frequenter ambularent.

LIBRI III. ELEGIA VI.

De morte Paeti, quae illi ob avaritiam evenit. Quaeritur homines pericula, et curas ultro quaerere, ut opes accumularent.

Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es,
 Per te immaturum mortis adimus iter.
 Tu vitis hominum crudelia pabula praebes,
 Semina curarum de capite orta tuo.
 Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus,
 Obruis insano terque, quaterque mari.
 Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo,
 Et nova longinquis piscibus esca natat.
 Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
 Quum moribunda niger clauderet ora liquor.
 Dii maris Aegei, quot sunt penes aequora Ponti,
 Et quaecunque meum degravat unda caput.
 Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
 Attulimus longas in freta vestra manus.
 Ah! miser, Alcyonum scopulis adfigar acutis,
 In me caeruleo fuscina sumta Deo est.
 Ah! saltem Italiae regionibus advehat aestus,
 Hoc de me sat erit, si modo matris erit.
 Subtrahit haec fontem torta vertigine fluctus,
 Ultima quae Paeto voxque, diesque fuit.
 Paete! quid aetatem numeras? quid cara natanti
 Mater in ore tibi est? non habet unda Deos.
 Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis,

Omnia detrito vincula fune cadunt.
 Et mater non iusta piaē dare debita terras,
 Nec pote cognatos inter humare rogos.
 Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinae,
 Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
 Infelix Aquilo, raptae timor Orithyae,
 Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?
 Aut quidnam fracta gaudes. Neptune, carina?
 Portabat sanctos alveus ille viros.
 O! centum aequoreae Nereo genitore puellae,
 Et tu materno tacta dolore Thetys.
 Vos decuit lasso supponere brachia mento,
 Non poterat vestras ille gravare manus.
 Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita
 Paetum sponte tua vilis arena tegas.
 Et quoties Poeti transibit nauta sepulcrum,
 Dicat: et audaci tu timor esse potes.
 Ite! rates curvas, et leti texite causas,
 Ista per humanas mors venit acta manus.
 Terra parum fuerat, fatis adiecimus undas,
 Fortunae miseris auximus arte vias.
 Ancora te teneat, quem non tenere penates?
 Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
 Natura insidians pontum substravit avaris.
 Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
 Ventorum est, quodcunque paras, hinc ulla carina
 Consenuit, fallit portus et ipse fidem.
 Quodsi contentus patrio hove verteret agros,
 Verbaque duxisset pondus habere mea.
 Viveret ante suos Paetus conviva penates
 Pauper, et in terra, nil ubi flere potest.
 At tu saeve aquilo, nunquam mea vela videbis.
 Privato potius sub lare condar iners.

Observatio. Nihil artis, et elegantiae huic carmini deest, quo immoderatam aggregandarum opum cupiditatem castigat exemplo florentis aetate Paeti, teneros commiserationis affectus adhibet, exprobrat, indignatur Diis ipsis marinis, et iam Paetum mor-

tuum, iam Deos, iam homines alloquitur, iam saluberrime monet, et omnem convenientem ornatum addit, ut delectet, et prosit. Experieris, si singulas partes examinabis.

Adnot. *Ad Pharios tendentem linteæ portus*) Aegyptios *Pharus* olim urbs Aegypti præcipua; interdum pro tota regione ponitur. *Attulimus longas — manus*) sanas, non periurio, vel mendacio debilitatas. Est e religione veterum, qui putabant, periuros membro aliquo debilitari, vel mancos, mutilos fieri, vel aliqua parte corporis poenam ferre. Hoc idem dicet inferius: Portabat sanctos alveus ille viros, *Carpathium mare*) *Carpathus* insula fuit Asiae inter Cretam et Rhodum, ab illa vicinum mare nomen accepit, *Orithyæ*) *Orithya* filia *Erichthei Athenarum Regis*, quam a *Borea* raptam, et in ventum commutatam Poëtæ fabulantur, *Ovid. L. VI. Metamorph. Nereo genitore*) *Nereus* Oceani, et *Tethyos* filius, Deus maris, e *Doride* maximam *Nympharum* turbam suscepit, quæ ab eius nomine *Nereides* appellantur. Hic Deorum antiquissimus, a *Virg. Georg. IV. Grandaevus*; a *Persio Sat. 1. Caeruleus dicitur*; quod appositum ceteris quoque marinis Diis convenit. Superius hoc in carmine *Neptunum* dici *caeruleum Deum*, satis indicat vox: *Fuscina*, seu tridens, qui sceptri loco eidem tribuitur.

LIB. III. ELEGIA VIII.

Ad Maecenatē.

Non esse quemlibet ad omnia idoneum; uti neque se ad scribendum carmen Heroicum. In vita apprimè esse utile: modum, ac modestiam in omnibus rebus tenere exemplo *Maecenatis*.

Maecenas Eques *Hetrusco* de sanguine *Regum*,

Intra fortunam qui cupis esse tuam.
 Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
 Non sunt apta meae grandia vela rati.
 Turpe est, quod nequeas capiti committere pondus,
 Et pressum inflexo mox dare terga genu.
 Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta.
 Fama nec ex aequo ducitur ulla iugo.
 Gloria Lysippo est, animosa effingere signa,
 Exactis calamis se mihi iactat equis.
 In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles,
 Parrhasius parta vindicat arte locum.
 Argumenta magis sunt Mentoris addita formae,
 Et Myos exiguum flectit acanthus iter,
 Phidiacus signo se Jupiter ornat eburno,
 Praxitelem proprius vindicat arte lapis.
 Sunt quibus Elaeae concurrit palma quadrigae,
 Sunt, quibus in celeres gloria nata pedes.
 Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis,
 Naturae sequitur semina quisque suae.
 At tua, Maecenas! vitae praecepta recepi,
 Cogor, et exemplis te superare suis.
 Quam tibi Romano dominas in honore secures,
 Et liceat medio ponere iura foro.
 Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
 Atque onerare tuam fixa per arma domum.
 Et tibi ad effectum vires det Caesar, et omni
 Tempore tam faciles insinuentur opes.
 Parcis, et in tenues humilem tu colligis umbras,
 Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
 Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
 Iudicia, et venies tu quoque in ora virum.
 Caesaris et famae vestigia iuncta tenebis,
 Maecenatis erunt vera trophaea: Fides.

Adnot. E ceteris, quae hic praeclarus Magister invenit utiliter explicanda, esse poterunt, i-mo: Ad vitae communis usum commendet laudabile Maecenatis exemplum, quem *intra fortunam suam se tenere; in tenues umbras humilem se colligere;*

velorum plenos sinus subtrahere, diversis, iisque elegantibus cogitatis scribit, dum in summis potestatibus modum teneret; qua vivendi ratione magno Camillo aequandus sit; id est: uti iste immortalis apud posteros erit, veraque eius trophaea futura sunt: *Fides* erga Augustum et *Constantia*; nec unquam ab Augusti gloria perenni separabuntur laudes Maecenatis. Ad huius commendationem, et potestatem exprimendam Augustei Consilarii, sane id splendide dictum. 2-do Monebit cupidos literarum iuvenes, ut conferant hoc carmen integrum cum Horat. L. I. Oda I. et observent diligenter, quid utriusque carminis convenientiam, vel diversitatem in inveniendo faciat. Cuiusmodi attenta observatio non sine magno mentis fructu iis eveniet, nec nisi animi oblectatione.

b) *Fama nec ex aequo ducitur ulla iugo*) *Jugum trutinæ*, seu *stateræ* intelligitur, quo ponderum aequalitas, vel inaequalitas examinatur. *Lysippus*) Statuarius clariss. a quo se uno fingi Alexander M. voluit; ut ab Apelle pingi. *Calamis*) Olympiae dicatus fuit ab Hierone Sicil. tyranno currus Aeneus cum bigis. Ille ab *Onata*, equi a *Calamide* facti fuerunt. Prior in curru adornando, iste in faciendis equis excelluit. *Apelles*) Pictor, qui ante se genitos omnes artificio superavit, et picturae plura unus ille prope contulit, quam ceteri omnes. Patria Coos; cuius primum opus: *Veneris imago*. *Parrhasius*.) Etiam Pictor eximius, repertor teste Plinio in pictura symmetriae, argutiarum vultus, elegantiae capillorum, venustatis oris. *Mentor*) Artifex insignis in vasis caelands. *Mys*.) Nomen est Caelatoris, qui claruit argento caelando, et exprimendis foliis floris Acanthi, quae occasionem praebuerunt ornamentis pulcherrimis in sculptura. De hoc Caelatore etiam Martial. L. VIII. Epigr. 50. ubi et Myronis meminit, cuius celeberrimum opus fuit: *Bucula* ex aere, vivae

vaccæ simillima. *Phydias*) Nobilis Statuarius, qui in eboresculendo citra aemulum claruit; Diis tamen efficiendis, quam hominibus melior. Inter huius opera commendata fuit *Minervæ* statua ex ebores 26 cubitorum alta. Proximam commendationem meruit: *Jupiter, Olympius, Praxiteles*) Egregius Statuarius in Italia natus. Plurima opera habuit. Scripsit etiam quinque volumina nobilium in toto orbe operum. *Elis*) Et regionem, et urbem eius præcipuam in Peloponneso significat, celebrem Olympicis certaminibus, quæ in honorem Jovis habebantur, ut supra dictum. *M. Farius Camillus*) quinquies Dictator fuit; de Gallis bis triumphavit, Ad annos octoginta semper utilis patriæ vixit. *Hinc Pater Patriæ*, et alter *Romulus*, et *Urbis Conditor* appellatus *Liv. L. V. De eo Horat. L. I. Od. 12.*

DELECTUS

E. C. VAL. CATULLI LIBRO.

De stilo Catulliano Dissertationem edidit: Carolus Michaëler Oenipontanus Professor 1776. Augustæ Vindel. quæ præfixa est Carminibus Zamagnæ Cunichii, et Mazzolatii; illa stilum Catullianum, uti et Tibullum, ac Propertium egregie vindicat contra obtrectatores; qui cum Ovidiano saporis assuevissent, quidquid huic adversaretur, vitiosum haberent. Nos ne discrimina horum Poëtarum peculiari descriptione dare hic cogamur, eas partes docto Institutore, ad quem pertinent, relinquimus, aut volentem co-

gnosceret eo dirigimus. Nostrum est, aliquam imaginem vitae auctoris, et operum notitiam proponere. Quod exequimur.

C. Valerius Catullus Veronae non humili, nec obscuro genere in lucem editus, quo tempore Terent. Varro Romanorum, ea aetate, teste Quintil. eruditissimus Romae floruit. In tenera aetate a Manlio in urbem deductus est; ubi mox ingenii facilitate, et doctrina adeo omnibus carum se, acceptumque praebuit, ut Julii Caesaris hospitio quemadmodum pater eius usus sit, et M. Tullii Cicer. patrocinium meruerit: ut ipse eleganti epigrammate, quod inferius dabimus, testatus est. Manlium magno studio coluit, et eius nuptias, quamvis tunc moerore ob mortem fratris confectus, carmine celebravit. Versus illius, ut duriusculi, prout uterque Plinius memorat, notabantur, tamen elegantes iudicati sunt. Habemus eius librum Cornelio Nepoti, viro doctrina, et rerum cognitione eximio dicatum, et Hendecasyllabos, Scazontas, Jambos, et Elegos comprehendentem, quorum diversi diversas fecerunt divisiones ratione varii generis versuum; in quibus, ut iudicant eruditi elocutionis latinae castitas, venustasque, ac ingenii mirifica amoenitas abstergit, si quid in versibus scabrum videri possit. Utinam abessent illa, quae pudicum le-

ctorem merito cogunt erubescere, et de manibus librum abiicere!

In eo illustrando operam adhibuerunt, quos in Tibullo, et Propertio nominavimus. Si Janus Brouckhusius, sicut Tibullum, et Propertium absolvit, ita Catullum, quem expoliendum sumserat, potuisset perficere, nihil ad eius lucem desideraretur. Plura quoque composuit Catullus, quorum tantum memoriam scriptores censervarunt. Mortuus Romae, cum annum circiter tricesimum aetatis ageret, et Virgilius Cremonae studiis operam daret.

Editiones plurimae iam ante seculum decimum septimum Catulli factae sunt, tam quae cum Tibullo et Propertio, quam quae seorsim eundem dederunt. Ab hoc tempore, quae praeclare, nec praeteruudae horum trium Poëtarum prodierunt, commemoravimus tuperius. Plures recentiores facile possunt cognosci, quamvis hic non percenseantur.

EPIGRAMMA 13.

Ad Fabullum, quem Poëta ad coenam iocose invitat.

Coenabis bene, mi Fabulle! apud me
 Paucis, si tibi Dii faveant, diebus,
 Si tecum attuleris bonam, atque magnam
 Coenam, non sine mollibus cachinnis;

Haec si, inquam, attuleris venuste noster,
 Coenabis bene. Nam tui Catulli
 Plenus sacculus est araneorum.
 Sed contra accipies meros odores,
 Sed quid svavius, elegantiusve est?
 Nam unguentum dabo, quod sibi ipsae averent
 Donari veneres, cupidinesque;
 Id tu cum olfacies, Deos rogabis:
 Totum ut te faciant Fabulle nasum.

EPIGRAMMA 14.

Ad Calvum Licinium Oratorem. Scripta malorum Poëtarum, qualia Licinius Catullo muneri miserat, tenebris esse involvenda.

Ni te plus oculis meis amarem,
 Jucundissime Calve! munere isto
 Odissem te odio vatinianno,
 Nam quid feci ego, quidve sum locutus?
 Cur me tot male perderes Poëtis?
 Isti, Dii mala multa dent, clienti,
 Qui tantum tibi misit impiorum.
 Non, non hoc tibi, salse, sic abibit;
 Nam, si luxerit, ad librariorum
 Curram scrinia. Caesios, Aquinos,
 Suffenum; omnia colligam venena,
 Ac te his suppliciis remunerabor.
 Vos hinc interea valete, abite
 Illuc, unde malum pedem tulistis
 Secli incommoda, pessimi Poëtae.

EPIGRAMMA 50.

Ad M. T. Ciceronem, cuius patrociniū meruit, pro quo illi gratias agit.

Disertissime Romuli Nepotum,

Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli!
 Quotque post aliis erunt in annis,
 Gratias tibi maximas Catullus
 Agit, pessimus omnium Poëta,
 Tanto pessimus omnium Poëta.
 Quanto tu optimus omnium Patronus.

EPIGRAMMA 75.

In ingratum. Homines nec sunt grati pro beneficiis, nec constantes in amicitia.

Desine de quoquam quidquam bene velle mereri,
 Aut aliquem fieri posse putare pium.
 Omnia sunt ingrata; nihil fecisse benigna est,
 Imo etiam laedet, statque magisque, magis.
 Vae mihi! quem nemo gravius, nec acerbius urget,
 Quam modo, cui nimium fidus amicus eram.

Monitum. Ad te monendum deservit hoc carmen: ut semper amicitias sic prudenter colas, quasi mox dissolvendas; beneficia vero sic largiaris, ut posse fieri ingratos cogites, in quos ea confers. Tibi recte factorum conscientia sit merces, etiamsi pro bono malum reddatur.

Adnot. Statque magisque, magis.) Hic verbum: stat, impersonale est, tumque idem significat, ac certum est animo, ac deliberatum.

EPIGRAMMA 83.

Ad Quintium. Bonum nomen oculis, et vita est carius.

Quinti! si tibi vis oculos debere Catullum,
 Aut aliud si quid carius est oculis,
 Eripe ne famam, multo quæe carior illi
 Est oculis, seu quid carius est oculis.

EPIGRAMMA 85.

De Ario. Contra inusitatum pronuntiandi voces rationem.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
 Dicere, et hinsiadas Arius insidias.
 Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
 Cum quantum potuit, dixerat hinsiadias.
 Credo, sic mater, sic liber avunculus eius,
 Sic maternus avus dixerit; atque avia.
 Hoc misso in Syriam, requierunt omnibus aures,
 Audibant eadem haec leniter, et leviter.
 Nec sibi postilla metuebant talia verba.
 Quum subito adfertur nuncius horribilis:
 Ionios fluctus, postquam illuc Arius isset,
 Jam non Ionios esse, sed Hionios.

Adnot. Postilia) Adverbium est, idem ac: postea Libenter eo utitur Terentius.

EPIGRAMMA 94.

In Caesarem, Non quaerere Poëtam eius gratiam, nec conspectum.

Nil nimium studeo, Caesar! tibi velle placere,
 Nec scire, utrum sis albus, an ater homo.

EPIGRAMMA 103.

Inferiae ad fratris tumulum, seu fraternus amor etiam post mortem.

Multas per gentes, et multa per aequora vectus,
 Advenio hac miseris frater ad inferias.
 Ut te postremo donarem munere mortis,
 Et mutum necquicquam alloquerer cinerem.

Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
 Heu! miser indigne frater adente mihi.
 Hunc tamea interea, prisco quae more parentum
 Tradita sunt tristes munera ad inferias;
 Accipe fraterno multum manantia fletu,
 Atque in perpetuum frater ave, atque vale.

Adnot. Varro apud Servium: *Vale*, et *Salve*, seu: *Ave*, cum ad mortuos referuntur, non id significant, quasi illos posse, esse salvos putemus, sed quod ab his recedamus eos nunquam visuri. Et Virgil. L. XI. Aeneid. *Salve aeternum mihi maxime Palla, aeternumque vale.* Alias: *salve*, vel *ave* dicebatur in salutatione matutina; *vale* autem in vespertina, vel cum discedebatur. Ceterum alii alia etiam discrimina afferunt.

DELECTUS

E MAR. VAL. MARTIALIS.

Libris Epigrammatum.

M. Val. Martialis genere Hispanus, Bilbili natus non ignobili oppido Celtiberiae, ut ipse pluribus in locis suorum carminum demonstrat. Romam juvenis venit: ut studiis operam daret, suumque ingenium excoleret, sed cum ad agendas causas minime se idoneum videret, scribendis Epigrammatibus totum se dedit, iam felici successu, ut summi quique viri eius ingenio, et Poësi delectarentur. Plinius certe de illo scripsit: *fuisse eum ingenio acri, qui plurimum in scribendo et salis haberet, et fellis,*

neque candoris minus. Nec mirum, si Aelius Verrus Imper. eius lepores singulari affectu prosecutus est, eumque suum Virgilium nominare solitus. Etiam publicis honoribus in urbe cohonestatus est, nam et Equestri dignitate, et Praetura, ac trium liberorum iure donatus fuit. Inter amicos illius praecipui erant: Stella Patavinus, Decianus, Silius Italicus, Val. Flaccus, Parthenius, ad quos sunt multa eius carmina. Tandem aetate provector, rerum urbanarum taedio affectus in patriam rediit, ibique mortuus est, non sine magno moerore C. Plinii, ut scripta ad Cornel. Priscum epistola declarat.

Composuit XII. Libros Epigrammatum; Xenia etiam (haec fuerunt munera hospitibus, nec non amicis apposita, missive, quae Pictores tabellis, Poëta vero carminibus imitatus est) uno libro absolvit, efficitque XIII. librum Epigrammatum; Item: Apophoreta (seu dona in Saturnalibus, ut domum deportarentur, convivis data) uno libro complexus est, inscribiturque: Epigrammatum lib. XIV. Etiam libellus de Spectaculis eidem a quibusdam attribuitur, sed quia aliqua in eo Martialis temporibus non conveniunt, nec Poëtae huius ingenium sapiunt, ideo doctiores illum Martiali abiudicant. In scribendo secutus est Poëtas:

Marsum, Pedonem, ac Getulicum; Valerium quoque Catullum, et Licinium Calvum magni fecit-istorumque exemplo lascivam verborum licentiam excusat. Nam neque ille ab hac macula immunis est; licet brevitatis, argutia, venustas, dotes Epigrammatis detrahi illi non possint.

Sed cum duo supersint e veteribus Epigrammatis Principes: nempe Martialis hic, et Catullus, videndum iam, qualem illorum comparationem instituant eruditi viri; horum enim iudiciis discipuli admonentur, quod in utriusque lectione advertant, imitenturque. Vavassor de dictione ludicra pag. 231. existimat, utrumque vinci, ac vincere; Catullum iudicat superiorem puro, ac simplici candore, et nativa, minimeque adscita venustate formae, quae ad Graecos proxime procederet; hunc acumine, quod proprium esset Latinorum, ac peculiare tunc fieri coepisset, adeoque Catullum toto corpore Epigrammatis esse conspicuum; e contrario Martialem clausula, et ultimo fine, quo relinquerent cum delectatione aculeum. Quoad versum et numeros, Martialis Hendecasyllabos, Scazontas, Jambos in comparatione Catullianorum agrestes, et invenustos videri; sicut Elegiacos Catulli duriusculos, et scabros. Elocutione tantum alterum alteri praestare, quanto lin-

guae latinae aetas Julii Caesaris tempore praestantior fuisset, quam Vespasianorum, Nervae, Troianique, quo *Martialis* vixit. Hinc Thomas Crenius recte dixit: *Utrumque amplecti satius esse, ac utriusque virtutes imitando exprimere, quam alterutri penitus adhaerere.* Mureto quidem prior adeo placuit: ut *Martialis* totus displiceret, ac vilis, et ex trivio scurra haberetur. Sed pace doctissimi *Viri* dictum, nimius in *Catullum* amor hoc iudicium expressit.

E praecipuis editionibus numerantur:
 Paris. 1617. in F. Mogunt. 1627. in F. Lugd. Batav. 1610. in 12 Amstel. 1650 in 12. In usum Delph. Paris. 1680. in 4. et Londin. 1701. in 8. Amstel. 1701. in 8. etc. etc.

LIBRI I. EPIGRAMMA 14.

De Arria Romana, et Caecinna Paeto eius Coniuge.

Casta suo gladium cum traderet Arria Paeto,

Quem de visceribus traxerat ille suis.

Siqua fides; vulnus, quod feci, non dolet, inquit,

Sed quod tu facies, hoc mihi Paete dolet.

Adnot. Furius Camillus Scribonianus Dalmatiae Legatus civile bellum contra Tiberium Claud. Imp. movit nullo successu, in cuius partibus quod Paetus fuisset, ad mortem adactus est. *De Scriboniano Svet. in vita Tiberii.* De Arria, et Paeta *ibidem* in vita Aulii Persii.

LIBRI I. EPIGRAMMA 22.

De Porsena, et Mucio Scaevola.

*Animositatem pro patria susceptam etiam hostes
admirantur, et probant.*

Cum peteret Regem decepta satellite dextra,
Iniecit sacris se peritura focis.
Sed tam saeva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Urere quem potuit contempto Mucius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Maior deceptae fama est et gloria dextrae;
Si non errasset, fecerat illa minus.

Adnot. Epitheta: *Saeva*, et *Pius* quidam per Hypallagen transposita putant; quidam ad rem accommodata: ut Porsena tanti viri constantia attonitus ex saevo hoste, pietatem indueret Mucio ad suos remisso. In postremis duobus versibus est *Acclamatio* Epigrammatibus *Encomiasticis* solennis. Nempe: maiorem laudem meretur constantia ultrix errantis manus, quam tanti facinoris animosa adgressio.

LIBRI I. EPIGRAMMA 20.

*Ad Aeliam vetulam, quam tussiendo amisisse
dentes iocose, arguteque ridet.*

Si memini, fuerant tibi quatuor, Aelia! dentes,
Expuit una duos tussis, et una duos.
Jam segura potes totis tussire diebus,
Nil isthic, quod agat, tertia tussis habet.

LIBRI I. EPIGRAMMA 40.

*Ad Decianum. Per suspensionem magnas ei vir-
tutes inesse dicit.*

Si quis erit rarus inter numerandus amicos,
 Quales prisca fides, famaue novit anus.
 Si quis Cecropiae madidus, Latiaeque Minervae
 Artibus, et vera simplicitate bonus.
 Si quis erit recti custos, imitator honesti,
 Et nil arcano, quod roget ore Deos.
 Si quis erit magnae subnixus robore mentis,
 Dispeream, si non hic Decianus erit.

Adnot. *Famaue novit anus.*) Famam iam Catullus Epigr. 78 festive, et lepide *Anum* finxit, dum perpetuo duraturam dicere voluit. Quidam legunt *Avos*, hoc est: priscos illos, et decantatos amicos: *Herculem*, et *Theseum*, *Damonem*, et *Pythiam*, *Pyladem*, et *Orestem* etc. *Cecropiae madidus*, *Latiaeque Minervae*) Graeca, Romana scientia imbutus. *Cecrops* fuit antiquissimus Rex Atheniensium, a quo Athenienses dicti *Cecropidae*, et Athenae urbs: *Cecropia*. *Nihil arcano, qui roget, ore Deos.*) Qui eo pervenit, ut nihil roget Deos, nisi quod rogare possit palam; nam quilibet movebat metuens audiri, ut Senec. Epist. 10 non putabatur a Diis recta, honestaque precari. *Dispeream* (Execrationis est formula,)

LIBRI I. EPIGRAMMA 48.

De Diaulo Medico qui Vespillo factus.

Nuper erat Medicus, nunc est Vespillo Diaulus,
 Quod Vespillo facit, fecerat et Medicus.

Adnot. Medicus per imperitiam occidit efferendos a Libitinariis, nunc effert ipse mortuos factus Vespillo.

LIBRI II. EPIGRAMMA 20.

De Paulo emta carmina pro suis recitante.

Carmina Paulus emit, recitat sua carmina Paulus,
 Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

Adnot. Poëtae sua carmina solebant recitare publice in aede *Apollinis Calatini*, in theatris, templis, hortis etc. Vel privatim coram paucis. Quidam emta pro suis recitabant, qualis fuit hic Paulus; alii etiam non emta, qualis est: *Fidentinus plagiarus*, in quem est Lib. I. Epigram. 50, 59, 54, 75. Unde sic istum noster monet: *si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam: si dici tua vis, haec eme, ne mea sint.* Apposite hic subiungitur sequens Epigramma etc.

LIBRI II. EPIGRAMMA 58.

In Zoilum, alienis bonis, id est: vestris non debita gloriantem, eaque conductitia,

Pexatus pulchre rides mea, Zoile trita,
Sunt haec trita quidem, Zoile, sed mea sunt.

LIB. II. EPIGRAMM. 80.

De Fannio, qui cum in Augustum coniurasset, proscriptus, ut percussores fugeret, se ipsum interemit.

Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit,
Hic, rogo, non furor est, ne moriari, mori?

LIB. III. EPIGRAM. 9.

In Cinnam.

Versiculos in me narratur scribere Cinna,
Non scribit, cuius carmina nemo legit.

LIB. III. EPIGRAM. 43.

In Lentinum, qui tingendo capillos canos voluit apparere iuvenis.

Mentiris iuvenem, tinctis Lentine capillis,

Tam subito corvus, qui modo cygnus eras.
 Non omnes fallis, scit te Proserpina canum,
 Personam capiti detrahet illa tuo.

Adnot. Tum subito corvus, etc.) seu, nigris capillis es, qui modo canos habuisti. Scit Proserpina canum) vitae, mortisque Praeses, quae fingitur morituris crinem secare. Etiam Virgil. Libr. IV. Aeneid, De Didone. Et Horat. Libr. I. Od. 28. *Nul- lum saeva caput Proserpina fugit.* Has quasi primitias illa offerre orco credebatur. *Personam capiti* etc.) Fucum illum capillorum, et tinctum quasi calendum eleganter dicit larvam, sive personam.

LIB. III. EPIGRAM. 45.

De Ligurino loquacissimo, qui inter coenandum moleste, et importune sua iactaret, et carmina semper obtruderet.

Fugerit an mensas Phoebus. coenamque Thyestae,
 Ignoro, fugimus nos Ligurine tuam.
 Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis,
 Sed nihil omnino te recitante placet.
 Nolo mihi ponas rhombum, nullumve bilibrem,
 Nec volo boletos, ostrea nolo, tace.

Adnot. Tam in communi vita rerum suarum iactantia, et immoderata gloriatio fastidiosa est audientibus: ut quamvis Thraso iste sit vir probus, iustus, innocens, uti Ligurinus, tamen timeatur; prout eidem Lib. hoc, epigrammate 44 candide Poëta exponit, de quo iterum est Epigram. 50.

LIB. III. EPIGRAM. 61.

In Cinna, qui quidquid petit, extenuat.

Esse nihil dicis, quidquid petis improbe Cinna,
 Si nihil Cinna petis, nil tibi, Cinna, nego.

Adnot. Extenuas rem, quamcunque petis; atqui si nil, id est: rem levem, et relate, *nil* petis; ergo simpliciter *nihil* tibi nego. *Lusus* in verbis, sicut in Institutionibus Poët. Scholae pag. 147 dicitur.

LIB. V. EPIGRAM. 43.

Solum id fortunae obnoxium non est, nec perit, quod amicis datur.

Callidus effracta numos fur auferet arca,
 Prosternet Patrios impia flamma lares.
 Debitor usuram pariter, sortemque negabit,
 Non reddet sterilis semina iacta seges.
 Extra fortunam est, quidquid donatur amicis,
 Quas dederis solas, semper habebis, opes.

LIB. V. EPIGRAM. 53.

In posthumum. Benefacta amittunt gratiam, si ipsius beneficientis garrulitate divulgentur.

Quae mihi praestiteris, memini, semperque tenebo.
 Cur igitur taceo? posthume! tu loqueris,
 Incipio quoties alicui tua dona referre
 Protinus exclamat: dixerat ipse mihi.
 Non belle quaedam faciunt duo; sufficit unus
 Huic operi, si vis, ut loquar, ipse tace.
 Crede mihi, quamvis ingentia, posthume, dones.
 Auctoris pereunt garrulitate sui,

LIB. V. EPIGRAM. 75.

De Pompeii, et eius filiorum interitu. Magnarum rerum magna ruina est.

Pompeios iuvenes, Asia, atque Europa, se ipsum
 Terra regit Lybies, si tamen ulla tegit.
 Quid mirum toto si spargitur orbe? iacere
 Uno non poterat tanta ruina loco.

Adnot. Cneus Pompeii Magni filius interiit in Europa, victus a Caesare in Hispania. Sextus periiit a militibus Antonianis interceptus Mileti in Asia. Ipse Pompeius Magnus occisus in Africa, ad Pelusium Nili ostium sepultus est. Neque tamen pro certo constat, an sepultus fuerit: *Jacet ingens littore truncus, dixit Virgil. L. II. Aeneid. de Priamo, sed respexit Pompeium. Et illud: Marmoreo in tumulo Licinus iacet, at Cato parvo, Pompeius nullo.* Ubi ait Poëta toto orbe spargi hanc ruinam domus Pompeianae, intelligit tres orbis partes tunc notas, nondum inventa America. De illis autem tribus partibus Pompeius triumphavit.

LIB. VI. EPIGRAM. 61.

In invidum. Virtuti comes semper est invidia, quae generosas mentes non frangit, sed acuit.

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos,
 Meque sinus omnes, me manus omnis habet.
 Ecce! rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit,
 Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

LIB. VIII. EPIGRAM. 12.

Ad Priscum. Dote uxoris ne maritus servitutum emat, et clitellas portare deligat.

Uxorem quare locupletem ducere nolim.
 Quaeritis? uxori nubere nolo meae.
 Inferior matrona suo sit, Prisce! marito,
 Non aliter fuerint femina, virque pares.

Adnot. Libro X Epigr. 69. Uxor exercet imperium in virum, perinde ac si illa duxisset maritum, cum proprie illa marito nubat, vir uxorem ducat.

LIBR. VIII. EPIGRAM. 20.

Ad Varum, mala carmina facientem, sed eadem non recitantem.

Cum facias versus nulla non luce ducendos.

Vare, nihil recitas; non sapis, atque sapis.

Adnot. Vide: non esse in clausula contradictionem, nam ait eum non sapere, quod vitiosos versus, ac ineptos scribat; sapere autem in eo, quod eosdem non recitet iis locis, quae ad id destinata fuerunt, ut in *Adnot.* superius ad *L. II. Epig.* 20 diximus; ex qua recitatione plus dedecoris, quam laudis retulisset.

LIBR. IX. EPIGRAM. 83.

Ad Munnam, qui ex Astrologo intellexit se brevi periturum.

Dixerat Astrologus periturum te cito, Munna!

Nec puto mentitus dixerat ille tibi.

Nam tu dum metuis ne quid post fata relinquis,
Hausisti patrias luxuriosus opes.

Bisque tuum decies non uno tacuit anno,

Dic mihi, non hoc est, Munna perire cito?

Adnot. Jocus est, in ambiguitate verbi: *pereo*, quod Astrologus ad vitam, Poëta ad bona, et fortunas refert, e quibus non per integri anni spatium tam multum dissipavit. Nempe: vicies centena millia sestert.

LIBR. XII. EPIGRAM. 25.

In Thelesium. Dum secundae res durant, beneficiis conciliandi sunt, qui ingruentibus adversis rebus iuvare velint.

Cum rogo te, numos sine pignore non habeo, inquis,
 Idem, si pro me spondet agellus, habes.
 Quod mihi non credis veteri Telesine! sodali,
 Credis colliculis, arboribusque meis.
 Ecce! reum carus te detulit, adsit agellus;
 Exilii comitem quaeris? agellus eat.

Adnot. Carus, causidicus, et delator fuit. De quo Plin. L. I. Epist. 5. et Juvenal. Sat. I. Pulcherlusus: Mi Telesine! in iudicio causam tuam agat agellus meus, cui plus, quam mihi solebas credere. Quaeris comitem damnatus ad exilium? proficiscatur tecum idem agellus, cum plus fidei illi, quam mihi amico veteri adhibueris.

Monitum. Singulorum epigrammatum virtutes inspiciendae sunt acute, examinandaeque, alias epigramma insipidum videbitur. Quare etiam diligenter videndum, in quo epigrammatum dotes consistant. Ut explicatur in *Institutionibus Poëticis Scholarum* p. 145. et seqq.

DELECTUS

E P. OVIDII NASONIS.

Metamorphosi.

*Hoc loco id e scriptis doctorum virorum, quod ad rectum iudicium de Ovidii Transformationibus ferendum studiosis iuvenibus multum proderit; quod opus Poëta a prima mundi origine ad sua usque tempora perpetuo carmine artificiosissime deduxit. De eodem opere Ol. Bo-
 Select. pro II. Hum. 5*

richius Consp. Auctor. Lat. Ling. pag. 9. sic pronunciat; *Exstant Metamorphoses libri XV. non illo quidem stilo sublimi epico, sed tamen decoro, arguto, numeroso exarati, et vel eo ingeniosissimi, quod miro artificio omnes prope modum veterum fabulas quasi catena quadam amabili connectant. Etiam Boeclerus Dissert. de compar. Ling. Lat. facult. in iis gravitatem, et artem esse sic agnoscit, ut facilitatem, et profluentis elegantiae venustatem non excludant. Ipsa quoque argumenti amoenitate alliciunt potius discentium animos, quam Elegiae, praestantque: ut non sit difficilior tractatio exactioris huius operis, quam illius minus elaborati. Imo iam Lactantius etiam, Christi annorum Scriptorum disertissimus, appellavit hoc opus merito praeclarissimum. Licet ipse Poëta Trist. L. I. Elegia 6. dicat non fuisse perfecte limatum, et ad umbilicum deductum. Ceterum utilitatem Narrationum Poëticarum, quales sunt Metamorphoses, discis ex Institutionum Poëticarum Libro Scholastico p. 190,*

LIBRI I. FABULA III.

Prima in mundo hominum aetas, ob morum innocentiam, vitae tranquillitatem, ac sponte provenientium rerum abundantiam, fuit: Aurea.

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo

Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat.
 Poena, metusque aberant, nec vincla minacia collo
 Aere ligabantur, nec supplex turba timebat,
 Judicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.
 Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
 Montibus in liquidas pinus descenderat undas,
 Nullaque mortales praeter sua littora norant,
 Nondum praecipites cingebant oppida fossae,
 Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
 Non galeae, non ensis erat, sine militis usu
 Mollia securae peragebant otia gentes.

Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
 Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus,
 Contentique cibus nullo cogente creatis,
 Arboreos foetus, montanaque fraga legebant,
 Cornaque et in duris haerentia mora rubetis,
 Et quae deciderant patula Jovis arbore glandes.
 Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
 Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Adnot. Primae huius aetatis naturam simplicitate ornatam eleganti imitatione Poeta exhibet. Cuiusmodi innocuam, et simplicem naturam diversis picturis proponit etiam in libris *Fast.* non uno loco. Ex. gr. Primorum Romanorum mores, vivendi rationem etc. Hae aut aliae imagines a vivida phantasia profectae; item verba impropria, ac metaphorica ad stilum ornandum aspersa; verbo: multa alia decora poëtica in his descriptionibus Ovidii occurrentia, si rite discentibus, clareque evolvantur, necesse erit venustate rerum ad studia rapi *illorum animos.*

LIBRI I. FABULA IV.

Secunda hominum in mundo aetas fuit: Argentea; dum annus divisus est in quatuor tempora, hominesque pro domibus antra quaerere, ac laboribus alimenta sibi procurare coeperunt.

Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso
 Sub Jove mundus erat, subiitque argentea proles,
 Auro deterior, fulvo pretiosior aere;
 Jupiter antiqui contraxit tempora veris,
 Perque hiemes, aestusque, et inaequales autumnos,
 Et breve ver, spatiis exegit quatuor annum.
 Tum primum siccis aër fervoribus ortus
 Canduit, et ventis glacies adstricta pependit.
 Tum primum subiere domos, domus antra fuerunt,
 Et densi frutices, et iunctae cortice virgae.
 Semina tum primum longis Cerealia sulcis
 Obruta sunt, pressique iugo gemuere iuveni

EX EADEM FABULA

Tertia aetas fuit: Aenea, qua hominum ingenia ad res bellicas propensa iam fuerunt, nondum tamen scelerata. Quarta tandem: Ferrea erupit, qua habendi cupiditas, avaritia, ceteraque flagitiorum pestes mortalium animos depravarunt.

Tertia post illam successit ahenea proles,
 Saevior ingeniis, et ad horrida promptior arma,
 Non scelerata tamen. De duro est ultima ferro.
 Protinus erupit venae peioris in aevum
 Omne nefas, fugere pudor, verumque, fidesque;
 In quorum subiere locum fraudesque dolique.
 Insidiaeque, et vis, et amor sceleratus habendi,
 Vela dabat ventis, nec adhuc bene noverat illos
 Navita, quaeque diu steterant in montibus altis,
 Fluctibus ignotis insultavere carinae,
 Communemque prius (ceu lumina solis, et auras)
 Cantus humum longo signavit limite mensor.
 Nec tantum segetes, alimenta que debita dives
 Poscebatur humus, sed itum est in viscera terrae.
 Quasque recondiderat, stygiisque admoverat umbris,
 Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
 Prodierant, prodit bellum, quod pugnat utroque,

Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
 Vivitur ex raptō, non hospes ab hospite tutus,
 Nec socer a genero, fratrum quoque gratia rara est.
 Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
 Lurida terribiles miscent aconita novercae,
 Filius ante diem patrios inquit in annos,
 Victa iacet pietas, et virgo caede madentes
 Ultima coelestum terras astraera reliquit.

Adnot. Hic quidquid examines, placere debet. Attentionem merentur: *Inventio*, *delectus cogitationum*, *gnomae graviores*, *aequabilis dictio*, *et scelerum*, quae totas societates evertunt, *enumeratio*; cuiusmodi scelera generalis Diluvii poena exstingvi debuisse in sequentibus scribit Poeta. Ut illorum malitia serpit, ut omnes civitatis partes corrumpit, accurate enucleandum discipulis: sic enim rei malitia cognita in usu vitae civilis eandem abominari scient.

E LIBRI I. FABULA 6 et 7.

Jupiter homines, in omnia mala proiectos, Deorumque, generali aquarum eluvione delet.

Quae pater ut summa vidit Saturnius arce,
 Talibus inde modis ora indignantia solvit:
 Perdendum est mortale genus, per flumina iuro
 Infera, sub terras Stygio labentia luco.

Cuncta prius tentata, sed immedicabile vulnus
 Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
 In facinus iurasse putes; dent ocius omnes,
 Quas meruere pati (sic stat sententia) poenas.

Protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris,
 Et quaecunque fugant inductas flamina nubes,
 Emitteritque Notum, madidis Notus evolat alis,
 Terribilem picea tectus caligine vultum.
 Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis
 Fronte sedent nebulae, rorant pennaque, sinusque.

Utque manu lata pendentia nubila pressit,
 Fit fragor, hinc densi funduntur ab aethere nimbi,
 Nuncia Junonis varios induta colores
 Concipit Iris aquas, alimenta que nubibus adfert.
 Sternuntur segetes, et deplorata coloni
 Vota iacent, longique perit labor irritus anni.

Nec coelo contenta suo est Jovis ira, sed illum
 Caeruleus frater iuvat auxiliaribus undis,
 Convocat hic amnes, qui postquam tecta tyranni
 Intravere sui, non est hortamine longo
 Nunc, ait, utendum, vires effundite vestras.
 Sic opus est: aperite domos, ac mole remota
 Fluminibus vestris totas immittite habenas.
 Jusserat, hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
 Et defrenato volvuntur in aequora cursu.
 Ipse tridente suo terram percussit, at illa
 Intremuit, motuque sinus patefecit aquarum.
 Exspatiata ruunt per apertos flumina campos,
 Cumque satis arbusta simul, pecudesque, virosque,
 Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
 Siqua domus mansit, potuitque resistere tanto
 Indeiecta malo, culmen tamen altior huius
 Unda tegit, pressaeque labant sub gurgite turres.

Jamque mare, et tellus nullum discrimen habebant
 Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto,
 Occupat hic collem, cymba sedet alter adunca,
 Et ducit remos illic, ubi nuper ararat.
 Ille supra segetes, aut mersae culmina villae
 Navigat, hic summa piscem deprendit in ulmo.
 Figitur in viridi (si sors tulit) ancora prato,
 Aut subiecta terunt curvae vineta carinae.
 Et modo qua graciles gramen carpsere capellae,
 Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae.
 Mirantur sub aqua lucos, urbesque, domosque
 Nereides, silvasque tenent Delphines, et altis
 Incursant ramis, agitataque robora pulsant.
 Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones.
 Unda vehit tygres, nec vires fluminis apro
 Crura nec ablato prosunt velocia cervo,

Quaesitisque diu terris, ubi sidere detur,
 In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
 Obruerat tumulos immensa licentia ponti,
 Pulsabantque novi montana cacumina fluctus.
 Maxima pars unda rapitur, quibus unda pepercit,
 Illos longa domant inopi ieiunia victu.

a) *Adnot.* Poëta veris factis e Divina Scriptura desumtis hic, ut alibi etiam superstruit poëtici operis materiam compositione, et apta connexionione. Tiro sedulam det operam: ut inter huius, et oratoriae artis cogitata discrimen advertat, prout etiam in utraque diversitatem Elocutionis. Licet enim utraque periodos, membra, transitiones, tropos, figuras, ceteraque Eloquentiae requisita ad suum stilum assumat, ut examinanti patet, diversis tamen modis adhibet, diversa longe ratione. De quo discipulus clare instruendus est, et accurate monendus: quantum elegantiarum, et ornatus utrique arti affectare permissum sit, ac qui fines in his utrique praestituti sint, *quos ultra, citraque nequit consistere rectum.* Ut Horat. L. I. Sat. 1.

b) Specialiter in hac fabula, quae sane multis se commendat elegantissimis tam in inveniendis, quam eloquendo, placebunt, si separet, examinesque singulas partes, e quibus cum verisimilitudine, et observatione decentiae imaginem Noti iucunde, ac ingeniose componit Ovidius. Animadvertes convenientissime Neptunum uti brevi oratione, dum id imperat, quod repente exequendum fuit fluminibus; praeterea observabis ad vivum plurimum adiunctorum enumeratione expressam, quae terrarum inundationi coniuncta fuit, aut illam consequeretur calamitatem, imo et fortem phantasiae vim in uno illo, quo rei magnitudinem exhibere voluit versiculo: *Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto.*

LIBRI II. FABULA 15.

Pallas adit invidiam, petitque: ut Aglaurum
Cecropis filiam corripiat, eique suum virus in prae-
cordia inspiret.

Protinus Invidiae nigro squalentia tabo
Tecta petit; domus est imis in vallibus antri
Abdita, sole carens, non ulli pervia vento.
Tristis, et ignavi plenissima frigoris, et quae
Igne vacet semper, caligine semper abundet.
Huc ubi pervenit belli metuenda virago,
Constitit ante domum, (neque enim succedere tectis
Fas habet) et postes extrema cuspide pulsat.
Succussae patuere fores, videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum
Invidiam, visaque oculos avertit, at illa
Surgit humo pigre, semesarumque relinquit
Corpora serpentum, passuque incedit inertis.

Utque Deam vidit, formaque, armisque decoram,
Ingemuit, vultumque ima ad suspiria duxit.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno;
Risus abest, nisi quem visi movere dolores,
Nec fruitor somno vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque, et carpitur una,
Simpliciumque suum est. Quamvis tamen oderat
illam,

Talibus afflata est breviter Tritonia dictis:
Inface tabe tua naturam Cecropis unam,
Sic opus est, Aglauros ea est. Haud plura locuta
Fugit, et impressa tellurem reppulit hasta.
Illa Deam obliquo fugientem lumine cernens
Murmura parva dedit, successorumque Minervae
Indoluit, baculumque capit, quem spinea tortum
Vincula cingebant, adopertaque nubibus atris
Quacunque ingreditur, florentia poterit arva,

Exuritque herbas, et summa cacumina carpit,
 Afflatuque suo populos, urbesque, domosque
 Polluit, et tandem Tritonida conspicit arcem,
 Ingeniis, opibusque, et festa pace virentem.

Adnot. Quot, et quam vividae pieturae! nullus versus, in quo genuina invidiae attributa partim proprio, partim translato sensu non invenias describi, ac in tanta luce collocari, ut honorem inducere queant, meritoque *invidia* suum invidio supplicium esse dicatur. Quod et Horat. L. I. Epist. 2. pronunciavit: *Invidia Siculi non invenere tyranni tormentum maius.* Notes, *Tritonia*, cognomen est Minervae, seu Palladis quod temporibus Ogygis Regis ad fluvium Tritonem, vel Boeotiae vel Cretae, vel ad locum Africae Tritonidem virginali primum habitu apparuerit. Inde patronom. *Tritonis, idis*; et a Tritonia vocabantur Athenae *Tritonidis arces.*

LIBRI VIII. FABULA 5,

Patris filium amantis, et filii non obsequentis exemplum est in Daedalo, et Icaro. Ille in Creta clausus sibi, filioque alas paravit, volandique praecepta dedit prius, quam per aërem evolent; quibus spretis, ruit in mare iuvenis, mersusque est. Frequens et pene quotidianum est: effrenem iuventutem sinister eventibus opprimi.

Daedalus interea Creten, longumque perosus
 Exilium, tactusque loci natalis amore.
 Clausus erat pelago; terras licet, inquit, et undas
 Obstruat, at coelum certe patet, ibimus illac;
 Omnia possideat. non possidet aëra Minos.

Dixit, et ignotas animum demittit ad artes,
 Naturamque novat: nam ponit in ordine pennas,
 A minima coeptas, longam brevior sequente,

Ut clivo crevisse putes, sic rustica quondam
 Fistula disparibus paulatim surgit arenis.
 Tunc lino medias, et ceris alligat imas.
 Atque ita compositas parvo curvamine flectit,
 Ut veras imitetur aves; puer Icarus una
 Stabat, et ignarus sua se tractare pericla
 Ore renidenti, modo quas vaga moverat aura,
 Captabat plumas, flavam modo pollice ceram
 Mollibat, lusuque suo mirabile patris
 Impediebat opus. Postquam manus ultima coepto
 Imposita est, geminas opifex libravit in alas
 Ipse suum corpus, motaque pependit in aura.
 Instruit et natum medioque ut limite currat,
 Icare! ait, moneo, ne si demissior ibis,
 Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat.
 Inter utrumque vola, nec te spectare Booten.
 Aut Helicen iubeo, strictumque Orionis ense,
 Me duce carpe viam, pariter praecepta volandi
 Tradit, et ignotas humeris accommodat alas.

Inter opus, monitusque genae maduere seniles,
 Et patriae tremuere manus, dedit oscula nato
 Non iterum repetenda suo, pennisque levatus
 Ante volat, comitique timet; velut ales ab alto
 Quae teneram prolem producit in aëra nido,
 Hortaturque sequi, damnosaeque erudit artes.
 Et movet ipse suas, et nati respicit alas.
 Hos aliquis tremula dum captat arundine pisces,
 Aut pastor baculo, stivaque innixus arator
 Vidit, et obstupuit, quique aethera carpere possent,
 Credidit esse Deos. Et iam Junonia laeva
 Parte Samos fuerat, Delosque, Parosque relictæ,
 Dextra Lebynthos erat, foecundaque melle Calydnæ;
 Cum puer audaci coepit gaudere volatu,
 Deseruitque ducem, coelique cupidine tactus
 Altius egit iter; rapidi vicinia solis
 Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.

Tabuerant cerae, nodos quatit ille lacertos,
 Remigioque carens non ullas percipit auras,
 Oraque caerulea patrium clamantia nomen

Excipiuntur aqua, quae nomen traxit ab illo.
 At pater infelix, nec iam pater, Icare dixit,
 Icare! dixit, ubi es? qua te regione requiram?
 Icare! dicebat, pennas aspexit in undis,
 Devovitque suas artes, corpusque sepulcro
 Condidit, et tellus a nomine dicta sepulti est.

Adnot. In mappa erit exhibenda, ne quid obscurum sit, ac iniucundum discipulis haec Daedali, et Icarum per aërem volantium via, plagae orbis, et insulae, quarum fit mentio; imo uberioris notitiae causa videndus Aeneid. Lib. VI. a versu 14. ubi Virgil. Daedalum ad Cumas Campaniae evolasse memoriae prodit, ibique artis suae insignia monumenta posuisse, *Samus*, *Parus*, *Delus* notissimae insulae inter Cyclades. *Lebynthus* itidem in eodem mari Aegeo insula, per quod Cyclades sparsae sunt; nunc *Levita* dicitur prope insulam Lero. *Calydna*, modo *Chivara*, prope insulam Cos: Alii legunt: *Calymnam*, quae eiusdem maris est insula. Mare *Icarium*, et insula *Icaria* in eodem mari sita.

LIBRI VIII. FABULA 11.

Jupiter, et Mercurius *in forma humana Phrygiam peragrantes, in loco, quem Philaemon, et Baucis incolebat, omnibus domibus exclusi, a Philaemone et Baucide senibus hospitio, et cibis paratis excipiuntur. Incolarum inhumanitatem exosus Jupiter palude mersit locum, excepta hospitium senum domo.*

Jupiter huc specie mortalis, cumque parente
 Venit Atlantiades positus caducifer alis.
 Mille domos adiere, locum, requiemque petentes,
 Mille domos clausere serae, tamen una recepit,
 Parva quidem stipulis, et canna tecta palustri.
 Sed pia Baucis anus, parilique aetate Philaemon

Illa sunt annis iuncti iuvenilibus, illa
 Consuere casa, paupertatemque ferendo.
 Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
 Nec refert dominos illic, famulosne requiras,
 Tota domus duo sunt, iidem parentque, iubentque,

Ergo ubi Coelicolae parvos tetigere penates,
 Submissique humiles intrarunt vertice postes,
 Membra senex posito iussit relevare sedili.
 Quod super iniecit textum rude sedula Baucis.
 Inde foco tepidum cinerem dimovit, et ignes
 Suscitatur hesternos, foliisque et cortice sicco
 Nutrit, et ad flammam anima perducit anili,
 Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto
 Detulit, et minuit, parvoque admovit aheni.
 Quodque suus coniux riguo collegerat horto
 Truncat olus foliis, furca levat ille bicorni
 Sordida terga suis nigro pendentia tigno,
 Servatoque diu resecat de tergore partem
 Exiguam, sectamque domat ferventibus undis.

Interea medias fallunt sermonibus horas,
 Sentiri que moram prohibent, erat alveus illic
 Fagineus dura clavo suspensus ab ansa,
 Is tepidis impletur aquis, ortusque fovendos
 Accipit, in medio torus est de mollibus ulvis
 Impositus lecto, sponda, pedibusque salignis.
 Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
 Sternere consueverunt, sed et haec vilisque, vetusque
 Vestis erat, lecto non indignanda saligno,

Accubere Dei, mensam succincta, tremensque
 Ponit anus, mensae sed erat pes tertius impar;
 Testa parem fecit; quae postquam subdita clivum
 Sustulit, aequatum menta extersere virenti.
 Ponitur hic bicolor sinceræ bacca Minervae,
 Conditaque in liquida corna autumnalia faece,
 Intubaque, et radix, et lactis massa coacti,
 Ovaeque non acri leviter versata favilla,
 Omnia fictilibus; posthaec caelatus eadem
 Sistitur argilla crater, fabricataque fago
 Pocula, qua cava sunt, flaventibus illita serie.

Parva mora est, epulasque foci misere calentes,
 Nec longe rursus referuntur vina senectae,
 Dantque locum mensis paulum subducta secundis,
 Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis,
 Prunaeque, et in patulis redolentia poma canistris,
 Et de purpureis collectae vitibus uvae.
 Candidus in medio favus est, super omnia vultus
 Accessere boni, nec iners, pauperque voluntas.
 Interea, quoties haustum cratera repleri
 Sponte sua, per seque vident succrescere vina,
 Attoniti novitate pavent, manibusque supinis
 Concipiunt, Baucisque preces, timidusque Philae-
 mon,

Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant.

Unicus anser erat minimae custodia villae,
 Quem Diis hospitibus domini mactare parabant;
 Ille celer penna tardos aetate fatigat,
 Eluditque diu, tandemque est visus ad ipsos
 Confugisse Deos, superi vetuere necari,
 Diique sumus, meritasque luet vicinia poenas
 Impia, dixerunt, vobis immunibus huius
 Esse mali dabitur, modo vestra relinquitte tecta,
 Ac nostros comitate gradus, et in ardua montis
 Ite simul: parent ambo, baculisque levati
 Nituntur longo vestigia ponere clivo

Tantum aberant summo, quantum semel ire sa-
 gitta

Missa potest, flexere oculos, et mersa palude.
 Cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere.
 Cura pii Diis sunt, et qui coluere coluntur.

a) *Adnot.* Inhospitalitas semper et ubique invi-
 sa, ac morum asperiorum filia habita est. In hac
 fabula exhibet Ovid. eam a Diis graviter punitam
 esse; contra vero hospitalitatem, ac iucundam
 serviendi praesertim advenis, vel viatoribus prom-
 titudinem magnis Deorum gratiis remuneratam.
 Circumspice, quaeso, omnes servitii partes in se-
 nibus huius fabulae. deprehendes ubique *Decori*

leges impletas, et humanitatis; praeterea tranquilla senum istorum, contemptaque rebus suis paupertas, in rebns vilioribus, quales esse solent pauperum; item congruus nitor, paupertati conveniens rerum cibariarum prospicientia, hospitibus complacendi studium, et accedens ad haec omnia bonus vultus exempli instar esse possunt ad civilis vitae usum.

b) Poteris etiam ex adornata per senes mensa deprehendere *Ritum*, ac *Ordinem*. qui ad mensas veterum observabatur, ferculorum; neque enim aliter descripsit Poëta, quam in usu fuerit, *secudasque mensas* vocari apparebit: fructus. et bellaria, quae postremo apportabantur, sicut initium mensarum ab *ovis* fuit. Hinc Cic. Epist. Famil. L. 9. Epist. 50, dixit: *Integram famem ad ovum affero*. Et illud Proverbium: *ab ovis usque ad mala*. Haec, ceteraque Poëticae artis ornamenta, quae in hoc carmine non pauca sunt, examinanti patebunt sic: ut agnoscat Poëtam *simul et iucunda, et idonea dicere vitae*.

LIBRI VIII. FABULA 14.

Ceres Dea unam e Nymphis ad Famem Deam ablegat, ut haec Erisichthonem Thessalum tota vi invadat, qui Deorum Numina sperneret, et vetustos lucos ferro temeraret.

Est locus extremis Scythiae glacialis in oris,
Triste solum, sterilis sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners illic habitat, Pallorque, Tremorque,
Et ieiuna Fames. ea se in praecordia condat
Sacrilagi scelerata iube: nec copia rerum
Vincat eam, superetque meas certamine vires,
Neve viae spatium te terreat, accipe currus,
Accipe, quos fraenis alte moderere, dracones.
Et dedit, illa dato subvecta per aëra curru,

Devenit in Scythiam, rigidique cacumine montis
 (Caucason appellant) serpentum colla levavit,
 Quaesitamque Famem lapidoso vidit in agro
 Ungvibus, et raris vellentem dentibus herbas.
 Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore.
 Labra incana situ, scabri rubigine dentes.
 Dura cutis, per quam spectari viscera possent.
 Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis,
 Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
 Pectus, et a spinae tantummodo crate teneri.

Auxerat articulos macies, genuumque tumebat.
 Orbis, et immodico prodibant tubere tali,
 Hanc procul ut vidit, (neque enim est accedere iuxta
 AUSA) refert mandata Deae, paulumque morata,
 Quamquam aberat longe, quamquam modo venerat
 illuc,

Visa tamen sensisse Famem, retroque dracones
 Egit in Aemoniam versis sublimis habenis.

Dicta FAMES CERERIS (quamvis contraria semper
 Illius est operi) peragit, perque aëra vento
 Ad iussam delata domum est, et protinus intrat
 Sacrilegi thalamos, altoque sopore solutum
 (Noctis erat tempus) geminis amplectitur ulnis,
 Sequē viro inspirat, faucesque, et pectus, et ora
 Afflat, et in vacuis spargit ieiunia venis.
 Functaque mandato fecundum deserit orbem.
 Inque domos inopes, assvetaque vertitur antra.

Adnot. In hac, et duabus, quae sequentur pi-
 cturis, (quamquam apud hunc Poëtam plurimae
 sunt aliae, eaeque diversissimae) mirari debes,
 nullibi deficere ingenium in inveniando, nec faci-
 lem venam, aut stilum aequabilem: ut saxeus fit,
 quem hae ingeniosissimae amoenitates non move-
 ant, quibus semper aliqua utilitas adiuncta est.
 Nempe, spiritus ille creator aliquis, qui Poëtis in-
 esse debet, semper materiam sibi novam effingit,
 fabricatque, et eam convenientissimorum colo-
 rum proportione pingit, miraue dulcedine elocu-

tionis, varietate affectuum expolit, ac penitus in aures, animumque inspirat. Quae quidem potestas latissime uni *Arti Poëticae*, seu loquenti *Picturae* concessa est.

E LIBRO XI. FABULA 11.

Somni Domus multiplici varietate, et subtilitate, et nitore, perite, splendideque expicta.

Est prope Cimmereos longo spelunca recessu,
 Mons cavus, ignavi domus, et penetrabilia somni,
 Quo nunquam radiis oriens, mediusve, cadensve
 Phoebus adire potest; nebulae caligine mistae
 Exhalantur humo, dubiaeque crepuscula lucis.
 Non vigil ales ibi, cristati cantibus oris
 Evocat Auroram, nec voce silentia rumpunt
 Solicitive canes, canibusve sagacior anser.
 Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
 Humanaeve solum reddunt convicia lingvae,
 Tota quies habitat; saxo tamen exit ab imo
 Rivus aquae letes, per quem cum murmure labens
 Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.

Ante fores antri foecunda papavera florent,
 Innumeraeque herbae, quorum de lacte soporem
 Nox legit, et spargit per opacas humida terras.
 Janua ne verso stridorem cardine reddat,
 Nulla domo tota est, custos in limine nullus.
 At medio torus est hebeno sublimis in atra
 Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
 Quo cubat ipse Deus membris langvore solutis
 Hunc circa passim varias imitantia formas
 Somnia vana iacent, totidem quot messis aristas,
 Silva gerit frondes: eiecat littus arenas.

Adnot. Jucundissima sunt, quibus porro describit somniorum classes convenientissima fictione Ovidius. ut elaborati gustus literarii viro placere debeant. Breviter monendus es: ut per vocem supe-

rius occurrentem: *Convicia*, intelligas id, quod iam alibi diximus, nempe *plurium vocem*, quasi sit: *Convocia*.

E LIBRO XII. FABULA 1.

Famae Domus Picturae.

Orbe locus medio est, inter terramque, fretumque,
Coelestesque plagas triplicis confinia mundi,
Unde quod est usquam, quamvis regionibus absit,
Inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures,

Fama tenet, summaque domum sibi legit in arce
Innumeros aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, et nullis inclusit limina portis.

Nocte, dieque patet, tota est ex aere sonanti,
Tota fremit, vocesque refert, iteratque, quod cupit

Nulla quies intus, nullaque silentia parte,
Nec tamen est clamor, sed parvae murmura vocis,
Qualia de pelagi (si quis procul audiat) undis
Esse solent, qualemve sonum, cum Iupiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.

Atria turba tenet, veniunt leve vulgus, euntque,
Mistaque cum veris passim commenta vagantur
Millia rumorum, confusaque verba volutant.

E quibus hi vacuas implent sermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio, mensuraque ficti
Crescit, et auditis aliquid novus adiicit auctor.

Illic *Credulitas*, illic temerarius *Error*,
Vanaque *Laetitia* est, consternatque *Timores*,
Seditioque recens, dubioque auctore *Susurri*.

Ipsa quid in coelo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure videt, totumque inquit in orbem.

Adnot. Multi veteris Latii Poëtae *Famam* descri-
pserunt, diversisque coloribus pinxerunt. Docto-
rum virorum indicio venustissime pinxit eam
Virgil. et pleniorum quandam, ac illustriorem
Select. pro II. Hum.

imaginis varietatem, lucis, colorumque, et umbrae aptam dispositionem dedit Lib. IV. Aeneid. Quem ceteri quoque Poëtae posteriores imitati sunt. Nam Graeci quidem picturam *Famae* non reliquerunt carmine expressam. Ovidii hoc loco *Famae* simulacrum non est una aliqua parte, sed de integro, et pluribus picturis absolutum, et Virgiliano dissimile. Quibusdam non placet, quod fixam *Famae* domum, et fragore perpetuo sonantem fingat, cum *Famae* naturae magis accommodum sit, si volatilis, et per omnes mundi partes vagabunda dicatur. Si tamen minus monstruosum simulacrum praeferas, ex ea parte praeplacebit Ovidianum. Brevem *Famae* imaginem, quae pro veri, fictique nuncia sumitur, nullus tersiori dictionis brevitate, et grandiori sublimitate, ac insolentia Horatianam vicit, quae est Lib. II. Od. 2. Tantum fuit e *Metamorphosi*. Quod opus divinum, heroicique carminis dignitati conveniens *Christoph. Zartus* vocavit.

Monitum. Nisi studium compendii prohiberet, intulisse huc e Lib. XII. Fab. 1. duas Orationes: *Ajacis* et *Ulyssis* pro interfecti *Achillei* armis concertantium in concessu Graeciae Principum, quas prorsus e legibus Oratoriis Poëtam scripsisse constat. Soluta Oratioe Latina illas iam *Vitus Amerbachius* expressit anno 1545. in 8. ad calcem enarrationis Librorum *Tristium*.

DELECTUS

E PUBLII VIRGILII MAR. ECCLOGIS.

Publii Virgilii Mar. necessaria notitia

proponitur in eo libro, qui continet *Auctorum Delectum Primae Humanitatis Scholae praestitutum*. Hic ergo de solis eius *Bucolicis* aliquid memorandum breviter. Et quia ex *Institutionum Poëticarum* libello scholastico norunt iuvenes, quidquid praeceptionum est circa *Carmen Bucolicum*, nos haec tantum adferimus de *Virgilio Bucolicis*: Coepit ea scribere anno aet. 29, et triennio perfecit svasu *Asinii Pollionis*. Sunt autem eius *Eclogae X.* in quibus, ut *Ludovicus Vives de tradend. Discipl. L. 3* ait: captabat Poëta gratiam rusticitatis, quod et *Theocritus*, quem hoc in genere aemulatus est, fecerat indulgentius, propterea quaedam verba, et dicendi formulae potius e decore personae loquentis sunt; quas aliter diceret, si sua, non aliena persona loqueretur. Hinc et illud est: Sic rure loquuntur. Interim haec imitatio rusticitatis nil durtiei, sordium, aut nauseae offert, cum alioquin cultioris semper naturae sit imitatrix.

Ol. Borrichius Consp. Auct. Ling. Lat. sic de Bucolicis Virgillii scribit: Praeludit magnitudini suae in Bucolicis. imitatus praecipue Graecum Theocritum; cuius si dulcedinem assequi nequivit, eam Romana gravitate pensavit. . . Dictio in his humilior est, sed pura. De hac Horat. L. 1. Sat. 10. . . Epos molle,

atque facetum Virgilio annuerunt gaudentes rure Camoenae. . . *Facetum*, (inquit Quintil. L. 6. C. 3.) non tantum circa ridicula opinor consistere; decoris hanc magis, et ex-cultae cuiusdam elegantiae appellationem puto.

ECCLOGA V. DAPHNIS.

Pastores: Menalcas et Mopsus funebres, ac divinos honores amico Daphnidi exhibent. Mopsus illius Epitaphium, Menalcas Apotheosim canit.

Men. Cur non Mopse (boni quoniam convenimus
ambo,

Tu calamos inflare leves, ego dicere versus)

Hic corylis mistas inter consedimus ulmos?

Mop. Tu maior, tibi me est aequum parere, Me-
nalca;

Sive sub incertas zephyris motantibus umbras,

Sive antro potius succedimus; aspice, ut antrum

Silvestris raris sparsit labrusca racemis.

Men. Montibus in nostris solus tibi certet Amyn-
tas, 1)

Mop. Quid si idem certet Phoebum superare ca-
nendo? 2)

Men. Incipe, Mopse! prior, si quos aut Phyllidis
ignes, 3)

Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri. 4)

Incipe pascentes servabit Tytirus haedos.

Mop. Imo haec in viridi nuper quae cortice fagi

Carmina descripsi, et modulans alterna notavi,

Experiar, tu deinde iubeto, certet Amyntas.

Men. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,

Puniceis humilis quantum salianca rosetis

Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

Mop. Sed tu desine plura puer, successimus antro.

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim 5)

Flebant, vos Coryli testes, et flumina Nymphis;

Sub pedibusque videt nubes, et sidera Daphnis.
 Ergo alacres silvas, et cetera rura voluptas
 Panaque, Pastoresque tenet, Dryadesque puellas,
 Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
 Ulla dolum meditantur, amat bonus otia Daphnis.
 Ipsi laetitia voces ad sidera iactant

Intonsi montes, ipsae iam carmina rupes,
 Ipse sonant arbusta: Deus, Deus ille, Menalca.
 Sic bonus o! felixque tuis, en quatuor aras,
 Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phoebos
 Pocula bina novo spumantia lacte quot annis,
 Crateresque duos statuam tibi pinguis olivi,
 Et multo inprimis hilarans convivia Baccho;
 Ante focum si frigus erit, si messis in umbra,
 Vina novum fundam Calathis Arvisia nectar. (9)
 Cantabunt mihi Damaetas, et Lyctius Aegon,
 Saltantes Satyros mirabitur Alphesibaeus.

Haec tibi semper erunt, et cum solennia vota
 Reddemus Nymphis, et cum lustrabimus agros (10),
 Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit
 Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
 Semper honos, nomenque tuum, laudesque mane-
 bunt.

Ut Baccho, Cererique tibi sic vota quotannis
 Agricolae facient, damnabis tu quoque votis.

Mops. Quae tibi, quae tali reddam pro carmine
 dona?

Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
 Nec percussa iuvant fluctu tam littora, nec quae
 Saxosas inter decurrunt flumina valles.

Men. Hac te nos fragili donabimus ante ci-
 cuta (11)

Haec nos: *Formosum Corydon ardebat Alexin;*
 Haec eadem docuit: *Cuium pecus; an Meliboei?*

Mop. At tu sume pedum, quod, me cum saepe
 rogaret,

Non tulit Antigenes, et erat tum dignus amari,
 Formosum paribus nodis, atque aere, Menalca.

a) *Adnot:* Per *Daphnim* commode inteligitur *Iulius Caesar*; unde haec *Eccloga* videtur scripta quibus-
 dam ludis, aut sacrificiis, in honorem *Iulii Caesaris*

celebratis. Per *Menalcam* intelligunt *Virgilium*. Et quamvis in Ecclloga dicat se a *Daphni* amatum quod quidem fieri non potuit, quod nondum *Virgilius* *Caesaris* tempore notus fuerit; tamen conciliabis sensum, si in memoriam revocaveris, *Mantuanos* *Virgilii* populares, et reliquos *Galliae* *Cis-Alpinae* populos a *Caesare* amatos, eamque *Provinciam* flagrantissime eum expetivisse.

- b) Observandum: multo communi pastorum sermone inspergere Poëtam, ut Ecclloga placeat. In qua candor nulla exquisita diligentia, et labor in sermone loquentium, suavitas stili simplex, et ubique apparet. Similitudines, et imagines rerum desumptae e vita rustica, et notitiis pastoralis vitae. Dispice, et deprehendes ubique emicare necessaria Eccllogae ornamenta, atque magnam rursus sinceritatem inesse, quae ad tranquillam, et beatam vitam requiritur.
- c) 1) *Amyntas* praecipuus cantu, et fistula pastor. 2) *Proverbiale* carmen est, quod in arrogantes dici consuevit. 3) *Phyllis* *Lycurgi* *Thraciae* Regis filia, quae putans se spretam a *Demophonte* sponso, *Thesei* Regis *Athen*, filio, laqueo vitam finivit. 4) *Alcon*, nominatus *Cretensis* sagittarius, qui in serpentem filii sui corpori circumplicatum tam dextre sagittam emisit, ut illaeso filio serpentem occiderit. *Codri* *Atheniensium* Regis historia nota est, qui mendici, aut lignatoris habitu hostem provocavit in suam caedem, ut patriam liberet. 5) *Apte* *crudeli* funere dicitur *Caesar* extinctus: nam tribus, et viginti pugionum ictibus occisus est in *Senatu*, sub coniurationis ducibus: *Bruto* et *Cassio* eiusdem familiaribus. Etiam nomen: *Daphnis* *apte* ei tribuitur, quod *Lauream* significat, nam ius laureae coronae gestandae libentissime exercuit, *Suet. in Caesare*. Vocabulum: *Mater* *Romani* indicat. *E Sve-tonii* *Cap. 84.* coniiicies. 6) *Curru*, pro: *currui*,

more veterum, ut alibi dicit: *Parce metu*, etc. Vide *Gell. L. IV. C. 10.* Saera Liberi magnificentius a Iulio Caes. Romae instituta sunt, in quibus curruum tygres iungebantur. *Hasta* sive *Thyrusus* pampinis, et hederam vestitus, fuit gestamen Bacchi, et comitum eius feminarum, quae Bacchae nominabantur. *Thyrusus* vero erat Chorus canentium in sacris Bacchi. 7) *Puer* consulto vocatur Caesar, quod inter coelestes Deos relatus sit qui credebantur vigorem semper iuvenilem habere. 8) *Daphnis* extincti *Apotheosim* canit Menalcas, superius cecinit Mopsus *Epitaphium*. 9) *Arvisum* promontorium *Chiae* insulae, ubi vinum procreabatur generosissimum. 10) Sacrificium *Ambarvale* fuit: quo solebant arva ambire, et circumire cum hostia. Cuius fit mentio *Georg. L. II. e. versu 556.* Et Tibullus illud *L. II. EI. 4.* prolixè describit. Ovidius quoque in *Fastis*. 11) Hac fistula cecinimus *Ecclogam. II. et Eccl. III.* quarum idem est initium.

Monitum. Si a versibus 15. et 14. sensum Mopsi non assequeris, sic eum habe: Meditabor potius illa carmina, quae nuper modo cantavi, modo, quae cantaveram, in cortice fagineo descripsi. Item. si incidat dubium. quomodo convenienter dicatur versu 55. non tantum *Pales* Dea pastorum arva deseruisse, sed etiam Deus Musarum *Apollo*, incidat simul illud: *Apollinem* hic pastorem, Graecis *Nomium* accipi, quia olim Admeti Regis armenta pavit. Ita etiam *Georgic. L. III. v. 2.* eum Poëta pastorem vocat.

ECCLOGA VII. MELIBOEUS.

MELIBOEUS. CORYDON. THYRSIS.

Inducit Virgilius Meliboeum pastorem referentem certamen Corydonis et Thyrsidis, eumque, dum caprum a grege deerrantem quaereret, per Daphnidem certaminis indicem, in quem forte inciderat

in iudicio de principatu contententium detentum esse victoriamque ex amoebaea contentione Corydonem retulisse.

Mel. Forte sub arguta considerat ilice Daphnis,
Compulsarentque greges Corydon, et Thyrsis in
unum;

Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas.

Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo, (1)

Et certare pares, et respondere parati.

Hic mihi dum teneras defendo a frigore Myrtos

Vir gregis ipse caper deerraverat, atque ego Daph-
nim (2)

Aspicio; ille ubi me eontra videt, ocius, inquit,

Huc ades o! Meliboee, caper tibi salvus, et hoedi,

Et si quid cessare potes, requiesce sub umbra.

Huc ipsi potum venient per prata iuveni,

Hic viridis tenera praetexit arundine ripas

Mincius, eaque sacra resonant examina quercu.(5)

Quid facerem? neque ego Alcippen, neque Phyllida
habebam.

Depulsos a lacte domi, quae clauderet agnos,

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.

Posthabui tamen illorum mea seria ludo.

Alternis igitur contendere versibus ambo

Caepere alternos Musae meminisse volebant.

Hos Corydon, illos teferebat in ordine Thyrsis.

Coryd. Nymphae noster amor, Libethrides, aut
mihi carmen.(4)

Quale meo Codro concedit, proxima Phoebi (5)

(Versibus ille facit) aut non possumus omnes,

Hic argute sacra pendebit fistula pinu. (6)

Thyr. Pastores hedera crescentem ornate Poëtam
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro,

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem (7)

Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Coryd. Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus, (8)

Et ramosa Mycon vivacis eornua cervi.

Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota

Puniceo stabis suras evincta cothurno

Thyr. Sinum lactis, et haec te liba, Priape, quot-
annis

Exspectare sat est, custos es pauperis horti.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.

Coryd. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hy-
blae (9)

Candidior Cygnis, hедера formosior alba,

Cum primum pasti repetent praesepia tauri,

Siqua tui Corydonis habet te cura, venito.

Thyr. Imo ego Sardois videar tibi amarior her-
bis, (10)

Horridior rusco, proiecta vilior alga,

Si mihi non haec lux toto iam longior anno est.

Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuveni.

Coryd. Muscosi fontes; et somno mollior herba,

Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,

Solstitium pecori defendite, iam venit aestas

Torrída, iam laeto turgent in palmitē gemmae.

Thyr. Hic focus, et taedae pinguis, hic plurimus
ignis

Semper et assidua postes caligine nigri.

Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum

Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Coryd. Stant et iuniperi, et castaneae hirsutae;

Omnia nunc rident. At si formosus Alexis

Montibus his abeat, videas et flumina sicca.

Thyr. Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba,

Liber pampineas invidit collibus umbras.

Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit,

Iupiter et laeto descendet plurimus inbri.

Coryd. Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,

Formosae virtus Veneri, sua laurea Phoebō.

Phyllis amat corylos, illas dum Phyllis amabit,

Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phoebi,

Thyr. Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,

Populus in fluviis, abies in montibus altis.

Saepius at si me, Lycida formose, revisas,

Fraxinus in silvis cedit tibi. pinus in hortis.

Melib. Haec meminī, et victum frustra contendere Thyrsim.

Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis

- a) *Adnot.* Sexies alternant cantum seu amœbaeum carmen recitant Corydon, et Thyrsis. Ille principio statim pie petit a Musis vim pro condendo carmine; iste orsus a rabie in inimicum Codrum. Ille Dianam invocat numen castum; hic Priapum Deum obscœnum. Prior blandissima vota facit; posterior sibi imprecatur. In aliis locis Corydonem laeta, Thyrsidem tristia, ut plurimum canere patet examinanti. Itaque nil mirum, si iudicum sententia Corydon attulisse maiora, amabilioraque visus est, palmaque eidem attributa. Quod alioquin ad finem Ecclogae innuit Melibœus, dum inquit, se recordari horum carminum Thyrsidem frustra repugnasse, et ex eo tempore Corydonem, id est verè dignum laude, qua floreret apud omnes.
- b) Sub huius Ecclogae pastoribus non infamae sortis latere homines vel ex eo conice, quod Diis aureas, marmoreasque statuas voveant. Qui in rem acrius inspexerunt, existimant, se in Corydone Cornelium Gallum, vel ~~Asiatium~~ Pollionem, utramque Poëseos laude conspicuum; in Thyrside Poëtam aliquem horum aemulum, in Daphnide communem eorum amicum, apud quem contēdebant; in Melibœo Virgilium observasse; qui, dum amicos de recuperandis agris, et pecoribus consulebat, detentus sit in iudicio altercantium de praestantia cantus, securusque redditus de rebus suis. Ait enim Daphnis: *Caper tibi salvus, et hoedi.*
- c) 1) *Arcades ambo*) Arcadibus arte canendi pares finguntur. 2) *Vir gregis* per translationem dicitur; nam *vir* proprie hominum est. Ea licentia usus Theocritus *Idyl.* 8. caprum dixit: *virum* 3) *Sacra*

quercus, quia fuit dicata Iovi, et singulis arboribus querceis addicebantur Dryades, et Hamadriades singulae, ita ut illis durantibus durarent, pereuntibus perirent, et vivere desinerent istae quoque. *Populus* quoque sacra fuit, dicata Herculi, quod populo coronatus inferos adierit. *Vitis* Baccho vini inventori; *Myrtus* Veneri; *Laurea* Phoebus; propter *Daphnim* in laurum mutatam. *Pinus* Magnae Deorum Matri Cybele. *Fraxinus* arboris genus, cuius umbram Plin. L. 16. C. 15. tam invisam serpentibus notavit, ut citius in ignem confugiant, quam ad fraxinum. *Corylus* est, quae nuces avellanas profert. Harum arborum mentio inferius occurret. 4) *Libethrides Musae*, a fonte Libethrio, quem locant ad Heliconem quidam. 5) *Codrus* Poëta fuit Virgilii tempore. 6) Mos fuit emeritorum in aliqua arte. ut artis instrumenta Diis eius praesidibus suspendant, Sic Vetanus gladiator apud Horat. L. I. Epist. 1. 7) *Baccare frontem cingite*. In immodica laudatione fascinatio inesse, et Nemesis Dea ab eo, qui sic laudatus fuisset poenas repetere credebatur. Ad avertendum ergo fascinum, baccaris corona utebantur, quasi amuleto. Baccar autem herba est radicis odoratae, quam illa vi praeditam putabant. 8) Hoc amoebaem vota pro felici venatione continet. Offert per Myconem Corydon Dianae, apri caput, et longaevis cervi cornua, arbori affigenda, vel fani valvis, aut parietibus. Si hoc, inquit, ei proprium fuerit, ut deinceps in venando sit semper felix, statuam Dianae promittit. 9) *Hybla mons* in Sicilia abundans thymo et apibus. 10) *Sardoae herbae*, dictae, quia in Sardinia nascuntur et mandantium ora sie contrahunt, ut quasi ridentes earum veneno emoriantur, Unde Proverbium: *Sardonicus risus*. 11) *Buscus*, virgultum acutis foliis, et pungentibus. *Alga vilis* herba in mari nascens, unde ad littus eiectatur.

Monitum. Cum Poësis semper sit cùltioris, et elegantioris naturae imitatrix. exponendum in hac Eccloga discipulis est, quam diligenter Poëta caverit, ne deesset huic regulae in pastoribus, de victoria contendentibus, quorum naturam apertam, et sinceram repraesentat, et delectum rerum adhibet e vita pastoritia desumptarum, quas aemuli in cantu adferunt. Videndum etiam, quomodo servet Poëta e sua arte personarum mores, affectus varios; et quidquid valet ad conciliandam stili suavitatem, quae ab Eccloga nequit abesse. Qualis est etiam ipsa pastorum alterna concertatio. Nam inter non postrema stili Ecclogarum decora, accensetur huiusmodi quoque altercatio.

D E L E C T U S

E P. V. MAR. GEORGICOR.

L I B R O I, E T I I.

*Georgica Virgilius in honorem Maecenatis edidit, eidemque inscripsit, cuius notitiam aliquam habere aequum est iuvenes, qui literis dant operam, quos ille tantopere et coluit, et opibus, promovit, ut non modo sua aetate celebraretur, sed etiam posterum nomen eius munificis literarum literatorumque cultoribus, et patronis inderent, Maecenatesque appellerent. Itaque opportune hoc loco pauca de illo interserimus. Primos tenuit in Octaviani gratia cum Agrippa gradus. Fuit genere Tuscus, ex antiquis Hetru-
riae Regibus, quorum posterum in Civita-*

tem Romanam admissi equestrem ordinem adepti sunt. Eruditos: inprimis Virgilium, et Horatium familiariter complectebatur, opibusque liberaliter iuivit. Adeo modestus, abstinens, parum cupidus, et ambitionis expers, teste Propertio Lib. III. Eleg. 8. quae superius legi potest, ut, qui ceteris Magistratibus imperabat, ipse equestri dignitate, et Urbis, atque Italiae Praefectura contentus, vixerit. Adhibitus ab Octaviano cum Agrippa in Consilium de Imperio deponendo, retinendum censuit, persuasitque. Magnae doctrinae fuit, scripsitque Prometheum, et Octaviam Tragoedias; Carminum Libros X. Soluta oratione Commentarios de rebus ab Augusto gestis. Item: de animalibus, et gemmis Dialogos; sed omnia periere. Decessit Anno U. C. 746. Martio Censorino, et C. Asinio Gallo Coss. nunc iam de Georgicis sermonem faciamus.

Hoc opus Poëta per septem annos plerumque Neapoli versatus absolvit Libris IV. Cumque sint quatuor precipua rustici operis capita: I. Aratio. II. Plantatio. III. Pastio cultusque pecorum IV. Apes, et mellatio; ideo singula singulis Libris exequitur. Omnia tamen ad naturam soli Italici, praesertim Mantuani accommodat. Graeci Georgica permulti literis mandarunt, sed deperditi sunt. Imitatus inprimis est, ut ipse testatur, Hesiodum Ascraeum ex

Boeotia, cuius Librum longe et copia et elegantia superavit. Scripsit hoc opus annos natus 32. aut 53. Ex quo pro II. Humanitatis Schola, cui Historiae Naturalis Regnum Vegetabile praescribitur ediscendum praeter Minerale, non multa, quae cum Historia Vegetabilium conveniunt, seligimus, et promulsidis instar propinamus, ut iuvenes bonarum, et sibi utilium literarum amantes ad integrum opus legendum provocentur. Stilum hoc in opere Borrichius Consp. Auct. Ling. Lat. p. 67. floridiorem, dictionemque laetio rem nominat. Columella vere dixit, Virgilium agricolationem fecisse carmine potentem.

E L I B R O I.

Potest hic liber in quinque partes distribui: Pars I. *Agri colendi rationem ostendit* Pars II. *Agriculturae originem.* Pars III. *Agricultorum instrumenta.* Pars IV. *Rusticorum operum tempora.* Pars V. *Tempestatum prognostica.* Post haec est digressio ad prodigia caedis *Julii Caes.* Tum Epilogi loco preces pro incolumitate *Octaviani*, et salute *Pop. Rom.* Quaedam tantum praeccepta, eaque non ex omnibus quinque partibus huc desumpta.

P A R T I S I.

Praeceptum: de prima aratione.

Vere novo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, etc Zephiro putris e gleba resolvit,
Depresso intipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari

Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit.
Illiis immensae ruperunt horrea messes.

Praeceptum: de cognoscenda soli natura.

At prius ignotum ferro quam scindimus aequor,
Ventos, et varium coeli praediscere morem
Cura sit, ac patrios cultusquae, habitusque locorum.
Et quid, quaeque ferat regio, et quid quaeque recusat
Hic segetes, illic veniunt felicius uvse,
Arborei fetus alibi, atquae iniussa virescunt
Gramina. Nonne vides croceos ut Tmolus odores
India mittit ebur, molles sua thura Sabaei?
At Chalybes nudi ferrum viroaque pontus
Castorea, Eliadum palmas Epirus equarunt?
Continuo has leges, aeternaque foedera certis
Imposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem:
Unde homines nati, durum genus! Ergo age.
Pingue solum primis exemplo a mensibus anni
Fortes invertant tauri, glebasque iacentes
Pulverulenta coquat maturis solibus aetas.
At si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum
Arcturum, tenui sat erit suspendere sulco;
Illic officiant laetis ne frugibus herbae,
Hic sterilem exiguis ne deserat humor arenam.

*Praeceptum: de novitate agrorum, sive alterna ces-
satione.*

Alternis idem tonsas cessare novales,
Et segnem patiere situ durescere campum.
Aut ibi flava seres mutato sidere farra,
Unde prius laetum siliqua quassante legumen,
Aut tenues foetus viciae, tristisque lupini
Sustuleris fragiles calamos, silvamque sonantem
Urit enim campum lini seges, urit avenae,
Urunt Lethaeo perfusa papavera somno.

Praeceptum: de remediis sterilitatis agrorum.

Sed tamen alternis facilis labor, arida tantum
 Ne saturare fimo pingui Pudeat sola, neve
 Effoetos cinerem immundum iactare per agros,
 Sic quoque mutatis requiescunt foetibus arva,
 Nec ulla interea est inaratae gratia terrae.
 Saepe etiam steriles incendere profuit agros.
 Atquae levem stipulam crepitantibus urere flammis,
 Sive inde occultas vires, et pabula terrae
 Pinguia concipiunt, sive illis omne per ignem
 Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor,
 Seu plures calor ille vias, et coeca relaxat
 Spiramenta, novus veniat qua succus in herbas,
 Seu durat magis, et venas adstringit hiantes,
 Ne tenues pluviae, rapidive potentia solis
 Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat.

*Praeceptum de agri complanatione per occas, vel
 rastros, aut per secundam aratri impressionem,*

Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes,
 Vimineasque trahit crates, iuvat arva, neque illum
 Flava Ceres alto nec quicquam spectat Olympo;
 Et qui, proscisso quae suscitatur aequore terga,
 Rursus in obliquum verso perrumpit aratro,
 Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.

PARTIS II.

Origo Agriculturae.

Ante Iovem nulli subigebant arva coloni,
 Nec signare quidem, aut partiri limite campum
 Fas erat, in medium quaerebant, ipsaque tellus
 Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
 Ille malum virus serpentibus addidit atris,
 Praedarique lupos iussit, pontumque moveri,
 Mellaque decussit foliis. ignemque removit,

Et passim viris currentia vina repressit,
 Ut varias usus meditando extunderet artes
 Paulatim, et sulcis frumenti quaereret herbam,
 Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.
 Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas,
 Navita tum stellis numeros, et nomina fecit,
 Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.
 Tum laqueis captare feras, et fallere visco
 Inventum, et magnos canibus circumdare saltus.
 Atque alius latum funda iam verberat annem;
 Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina.
 Tum ferri rigor atque argutae lamina serrae,
 (Nam primi cuneis scindebant fissile lignum)
 Tum variae venere artes. Labor omnia vincit
 Improbus, et duris urgens in rebus egestas.
 Prima Ceres ferro mortales vertere terram
 Instituit. Cum iam glandes, atque arbuta sacrae
 Deficerent silvae, et victum Dodona negaret.
 Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos
 Esset robigo, segnisque horreret in arvis
 Carduus: intereunt segetes, subit aspera silva.
 Lappaeque, tribulique, niterque nitentia culta
 Infelix lolium, et steriles dominantur avenae,
 Quod nisi et assiduis terram insectabere rastris,
 Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci,
 Falce premes umbras, votisque vocaveris imbrem:
 Heu magnum alterius frustra spectabis acervum,
 Concussaque famem in silvis solabere quercu.

Adnot. Ceres Triptoleum, Celei Eleusinae urbis
 in Attica Regis filium, quem puerum nutrit
 apud patrem excepta hospitio; dum Proserpinam
 a Plutone raptam inquireret, iam grandio-
 rem factum docuit, agriculturam, impositumque suo
 curru, quem alati serpentes trahebant, misit per
 totum orbem, ut usum frumentorum huminibus
 indicaret. Eleusini incolae beneficii memores Ce-
 reris sacra instituerunt. Hinc sacra Eleusina.
 Quid de illa Cereris apud Celeum mora? *Ovidi-
 um lege Fast. L. IV. a versu 507.*

P A R T I S III. ?

Praeceptum: de rusticis instrumentis.

Dicendum, et quae sint duris agrestibus arma,
 Quae sine nec potuere seri, nec surgere messes.
 Vomis, et inflexi primum grave robur aratri.
 Tardaue Eleusinae matris volventia plaustra,
 Tribulaque, trahaeque, et unico pondere ratri.
 Virgea praeterea Celei, vilisque supellex.
 Arbuteae crates, et mystica vannus Iacchi.
 Omnia quae multo ante memor provisa repones,
 Si te digna manet divini gloria ruris.
 Continuo in silvis magna vi flexa domantur
 In burim, et curvi formam accipit alnus aratri,
 Huic a stirpe pedes temo protentus in octo,
 Bine aures, duplici aptantur dentalia dorso.
 Caeditur et tilia ante iugo levis, altaque regus,
 Stivaque, quae currus a tergo torqueat imos,
 Et suspensa focus explorat robora fumus.
 Possum multa tibi veterum praecepta referre;
 Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas.
 Area cumprimis ingenti aequanda cylindro.
 Et vertenda manu, et creta solidanda tenaci.
 Ne subeant herbae, neu pulvere victa fatiscat,
 Tum variae illudunt pestes, Sepe exiguus mus
 Sub terris posuitque domos, atque horrea fecit.
 Aut oculis capti fodere cubilia talpae,
 Inventusque cavis bufo, et quae plurima terrae
 Monstra ferunt, populatque ingentem farris acervum
 Curculis, atque inopi metuens formica senectae.

Praeceptum: de cura habenda seminum.

Semina vidi etiam multos medicare serentes,
 Et nitro prius, et nigra perfundere amarca,
 Grandior ut foetus siliquis fallacibus esset,
 Et quamvis igni exiguo properata maderent,
 Vidi lecta diu, et multo spectata labore,
 Degenerare tamen, ni vis humana quotannis

Maxima quaeque manu legeret; sic omnia fatis
 In peius ruere, et retro sublapsa referri;
 Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
 Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
 Atque illum in praeceptis prono rapit alveus amni.

Adnot. Hic atque significat: statim, ut explicet
Gell. L. 10. Cap. 29.

P A R T I S I V.

Praecepta de satione hordei, lini, papaveris, fabae, medicae, milii, tritici, farris, viciae, phaseli, lentis, etc. legi possunt in ipso opere. Nobis ex hac Parte IV. visum est sequentia tantum proponere:

Preceptum de iis: quae hiberna, et pluvia tempestate agricolis facienda sunt.

Frigidus agricolam si quando continet imber,
 Multa forent, quae mox coelo properanda sereno,
 Maturare datur. Durum procudit arator
 Vomeris optusi dentem, cavat arbore lintres,
 Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis;
 Exacuunt alii vallos, furcasque bicornes,
 Atque Amerina parant lentae retinacula viti.
 Nunc facilis rubea texatur fiscina virga,
 Nunc torrete igni fruges. nunc frangite saxo.

Praeceptum de iis: quae nocte, aut die; aestate, atque hieme melius praestantur.

Multa adeo gelida melius quae nocte dedere,
 Aut cum sole novo terras irrorat Eöus.
 Nocte leves stipulae melius, nocte arida prata
 Tondentur, noctis lentus non deficit humor.
 Et quidam seros hiberni ad luminis ignes
 Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto.

Interea longum cantu soluta laborem
 Arguto coniux percurrit pectine telas,
 Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
 Et foliis undam tepidi despumat aheni.
 At rubicunda Ceres medio succiditur aestu,
 Et medio tostas aestu terit area fruges.
 Nudus ara, sere nudus, hiems ignava colono.
 Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
 Mutuaque inter se laeti convivia curant.
 Invitat genialis hiems, curasque resolvit,
 Ceu pressae cum iam portum tetigere carinae,
 Puppibus et laeti nautae imposuere coranas.
 Sed tamen et quernas glandes tunc stringere tampus,
 Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta,
 Tunc gruibus pedicas, et retia ponere cervis,
 Auritosque sequi lepores, tum figere damas,
 Stupea torquentem Balearis vincula fundae,
 Cum nix alta iacet, glaciem cum flumina trudent,

P A R S V.

De temporum prognosticis. His premittit tempestatum descriptionem, hanc tantum adferimus, et vota ad Cererem; praetermissis prognosticis ventorum, pluviarum, serenitatis, etc.

Quid tempestates autumnii, et sidera dicam?
 Atque ubi iam breviorque dies, et mollior aestas
 Quae vigilanda viris? vel cum ruit imbriferum ver;
 Spicea in campis cum messis inhorruit, et cum,
 Frumenta in viridi stipula lactentia turgent?

Saepe ego cum flavis messorum induceret arvis
 Agricola, et fragili iam stringeret hordea culmo,
 Omnia ventorum concurrere praelia vidi,
 Quae gravidam late segetem ab radicibus imis
 Sublime expulsam eruerent ita turbine nigro
 Ferret hiems culmumque levem, stipulasque volantes.

Saepe etiam immensum coelo venit agmen aquarum,

Et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
 Collectae ex alto nubes, ruit arduus aether,
 Et pluvia ingenti sata laeta, boumque labores
 Diluit, implentur fossae, et cava flumina crescunt
 Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus aequor.
 Ipae pater media nimborum in nocte corusca
 Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
 Terra tremit, fugere ferae, et mortalia corda
 Per gentes humilis stravit pavor. Ille fragranti
 Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
 Deicit, ingeminant austri, et densissimus imber,
 Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.

*Praeceptum de expetendo Deorum patrocinio, et
 sacris Cereri faciendis, pro ubertate messis.*

Inprimis venerare Deos, atque annua magnae
 Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis,
 Extremae sub casum hiemis iam vere sereno,
 Tunc agni pingues, et tunc mollissima vina,
 Tunc somni dulces, densaeque in montibus umbrae.
 Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,
 Cui tu lacte favos, et dulci dilue Baccho,
 Terque novas circum felix eat hostia fruges,
 Omnis quam chorus, et socii comitentur ovantes,
 Et Cererem clamore vocent in tecta, neque ante
 Falcem maturis quisquam supponat aristis,
 Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
 Det motus incompósitos, et carmina dicat.

Adnot. Sacrificium Cereri duplex instituebatur. alterum verno tempore, dictumque *Ambarvale*, de quo iam in notulis *Ecclogae VII.* mentio fuit, cujusque hic *Virgil.* materiam explicat: *Lac, Mel, Favum, Vinum, et Hostiam*, sive fuerit *Vitula*, seu *Agnus*, sive *Sus gravida*, nam in hoc discrepant scriptores. Alterum aestate fiebat, de quo mox subjungit Poëta: *neque ante falcem maturis quisquam supponat aristis* etc. in quo *Vinum* adhibere nefas fuit. In his sacris Eleusinae matris, seu Cereris *Plaustra* adhibita

fuerunt, quorum rotae instar tympani e solido ligno factae fuerunt; ac tali vehiculo simulaerum Cereris circum agros deferebatur; hinc paulo superius in Partis I. Adnot. haec Plaustra vocantur: *Tarda*. Sed et alia onera deportare huiusmodi vehiculis solebant. Plures adnotationes suppleat industrius Docens.

E L I B R O II.

Septem Partes habet hic Liber de Plantatione: I. Modos producendarum arborum e natura, et arte. II. Varias earum species, et quomodo singulae tractandae sint, naturali, an artificioso. III. Quibus locis singulae feliciter proveniant. IV. Artem discernendae naturae cuiusque soli. V. Culturam vitis. VI. Culturam oleae, et aliarum aliquot arborum. VII. Epilogus de felicitate vitae rusticae. Huc delecta est Pars I. et VII. Noveris: ut alia, ita Partis V. praecepta plus aliorum regnorum indoli convenire.

P A R S VI.

Praeceptum de apta vitibus terra deligenda.

Quae tenuem exhalat nebulam, fumosque volucres,
 Et bibit humorem, et cum vult, ex se ipsa remittit,
 Quaeque suo viridi semper se gramine vestit,
 Nec scabie, et salsa laedit rubigine ferrum,
 Illa tibi laetis intextet vitibus ulmos.
 Nunc quo, quamque modo possis cognoscere, dicam.
 Rara sit, an supra morem sit densa, requiras,
 (Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho,
 Densa magis Cereri, rarissima quaeque Lyaeo)
 Ante locum capies oculis; alteque iubebis
 In solido puteum demitti, omnemque repones
 Rursus humum, et pedibus summas aequabis arenas.
 Si deerunt, rarum pecorique, et vitibus almis

Aptius uber erit, sin in sua posse negabunt
 Ire loca, et scrobibus superabit terra repletis,
 Spissus ager, glebas cunctantes, crassaque terga
 Expecta, et validis terram proscinde iuvenis.
 Salsa autem tellus, et quae perhibetur amara,
 Frugibus infelix; ea nec mansuescit arando,
 Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat,

Praeceptum de scrobibus parandis.

His animadversis, terram multo ante memento
 Excoquere, et magnos scrobibus concidere montes.
 Ante supinatas aquiloni ostendere glebas,
 Quam laetum infodias vitis genus. Optima putri
 Arva solo, id venti curant, gelidaeque pruinae,
 Et labefacta movens robustus iugera fossor.

*Praeceptum de soli similitudine in seminario, et vino,
 ac de signando vitis cortice, dum transplan-
 tatur.*

At si quos haud ulla viros vigilantia fugit,
 Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
 Arboribus seges, et quo mox digesta feratur,
 Mutatam ignorent subito ne semina matrem.
 Quin etiam coeli regionem in cortice signant,
 Ut quo quaeque modo steterit, qua parte calores
 Austrinos tulerit, qua terga obverterit axi.
 Restituant. Adeo in teneris consuescere multum est!

Praeceptum de ordine, quo vitis serenda.

Collibus, an plano melius sit ponere vites;
 Quaere prius. Si pinguis agros metabere campi,
 Densa sere, in denso non segnior ubere Bacchus.
 Sin tumulis acclive solum, collesque supinos,
 Indulge ordinibus, nec secius omnis in unguem
 Arboribus positis secto via limite quadret.
 Ut saepe ingenti bello, cum longa cohortes
 Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto,

Directaeque acies, ac late fluctuat omnis
 Aere renidenti tellus, necdum horrida miscent
 Praelia, sed dubius mediis Mars errat in armis.
 Omnia sint paribus numeris dimensa viarum,
 Non animum modo uti pascat prospectus inanem,
 Sed quia non aliter vires dabit omnibus aequas
 Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.

Praeceptum de profunditate fovearum.

Forsitan et scrobibus quae sint fastigia, quaeras;
 Ausim vel tenui vitem committere sulco.
 Altius, ac penitus terrae defigitur arbos,
 Aesculus inprimis, quae quantum vertice in auras
 Aethereas, tantum radice in tartara tendit.
 Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
 Convellunt, immota manet, multosque per annos
 Multa virum volvens durando secula vincit.
 Tum fortes late ramos, et brachia tendens
 Huc, illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram,

*Praeceptum de iis, quae cavenda sunt
 in satione vitis.*

Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem,
 Neve inter vites corylum sere, neve flagella
 Summa pete, aut summas defringe ex arbore plantas.
 (Tantus amor terrae) neu ferro laede retuso
 Semina, neve oleae silvestres insere truncos.
 Nam saepe incautis pastoribus excidit ignis,
 Qui furtim pingui primus sub cortice tectus,
 Robora comprehendit, frondesque elapsus in altas
 Ingentem coelo sonitum dedit; inde secutus
 Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
 Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram
 Ad coelum picea crassus caligine nubem;
 Praesertim si tempestas a vertice silvis
 Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
 Hoc ubi: non a stirpe valent, caesaeque reverti
 Possunt, atque ima similes revirescere terra.
 Infelix superat foliis oleaster amaris.

Praeceptum de tempore Sationis.

Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor
 Tellurem Borea rigidam spirante movere.
 Rura gelu tum claudit hiems nec semine iacto
 Concretam patitur radicem affigere terrae.
 Optima vinetis satio est, cum vere rubenti
 Candida venit avis longis invisata colubris,
 Prima vel autumnis sub frigora, cum rapidus sol
 Nondum hiemem contingit equis, iam praeterit
 aestas

Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis:
 Vere tument terrae, et genitalia semina poscunt.
 Parturit almus ager Zephyrique tepentibus auris
 Laxant arva sinus, superat tener omnibus humor,
 Inque novos soles audent se gramina tuto
 Credere, nec metuit surgentes pampinus austros.

Praeceptum de Stercoratione, Pastinatione; seu de terra ligone vertenda.

Quod superest, quaecunque preme virgulta per agros,
 Sparge fimo pingui, et multa memor occule terra.
 Seminibus positis superest deducere terram
 Saepius ad capita, et duros iactare bidentes,
 Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa
 Flectere luctantes inter vineta invencos.

Adnot. Invenies in superioribus, semina poni pro *curculis*, sive malleolis, seu qui vocantur *vivi radices*. Invenies *arborum segetem* dici sive teneras vites, seu arbusculas, quae in seminario seruntur. Ubi praecipitur: ut plantatis vitium surculis accumulatur terra ad *capita*, et *duri bidentes* immittantur in terram, intellige per vitium *capita* stirpes, et radices, quibus quasi ore alimentum e terra trahunt. *Bidentes* puta esse bifurcos ligones. Denique in proximo versu postremo non ex more patriae nostrae, sed Italiae dictum est, ut inter vineta iuveni aratrum trahant, terramque moveant, ubi vites, ulmis, aliis-

que arboribus fulciuntur, adeoque laxius digestae spatium arandi, imo et fruges interserendi relinquunt, ut ipsae vites sic alligatae in modum arboris excrescant. Quod haec scribens usurpavit oculis, et ex huiusmodi vitibus, in modum arborum elevatis fructum mense Septembri decerpit. *Addimus, ne quid novi cuiquam dictum videatur, qui id ne ex immortalis praedio rustico Vanierii, aut aliunde didicisset.*

Praeceptum de Ligatione, quae pedatio dicitur, et de frondatione.

Tum leves calamos, et rasae hastilia virgae.
 Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes,
 Viribus eniti quarum et contemnere ventos
 Assuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.
 Ac dum prima novis adolescit frondibus aetas,
 Parcendum teneris, et dum se laetus ad auras
 Palmes agit, laxis per purum immissus habenis,
 Ipsa acies nondum falcis tentanda, sed uncis
 Carpendae manibus frondes, interque legendae.
 Inde ubi iam validis amplexae stirpibus ulmi
 Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde,
 Ante reformidant ferrum, tum denique dura
 Exerce imperia, et ramos compesce fluentes.

Praeceptum de septo Vineae, adversus pecorum iniurias.

Texendae sepes etiam, et pecus omne tenendum est,
 Praecipue dum frons tenera, imprudensque laborum,
 Cui super indignas hiemes, solemque potentem
 Silvestres uri assidue, capraeque sequaces
 Illudunt, pascuntur oves, avidaeque invencae.
 Frigora nec tantum cana concreta pruina,
 Aut gravis incumbens scopulis arenibus aestas;
 Quantum illi nocuere greges, durique venenum
 Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.

frondium amputationem verbis illis: *Omne levandum fronde nemus*. Dat causam geminae pampinationis: *quia bis vitibus ingruit umbra*; sicut geminae runcationis, qua noxiae herbae eruuntur. *Bis segetem densis obducunt sentibus herbae*. De segete iam supra monuimus. *Postremus metito*. Messis non solum pro collectione frugum, sed uvarum etiam accipitur. *Et Georg. L. IV. v. 251. eccipit pro mellis proventu. Antes) sunt ordines vitium, qui sunt ante ceteros positi, et vineam quasi circumdant, ex omnique parte extremi sunt. In his dum se gaudet lassus vinitor sudorem terminasse, tamen ultro ei laborandum est. Metuendus Jupiter) pro Aëre Iupiter dicitur, qui grandine, et intempestivis pluviis infestus est,*

Monitum. Si cui *Georgicorum* Virgilii lectio pro sua utilitate, et honestissima voluptate, quam adfert vehementiorem situm horum studiorum excitaret, quaeso: ne moretur se transferre ad *Libros IV. Hortorum Renati Bapini*, de quo argumento nil Maro tradidit. Tum accedat ad universam ruris disciplinam *Jacobi Vanierii XVI. Libris*, indolem Gallicae agriculturae exquisito plane gustu conscriptam. Prior quoque ad Galliae Hortensem cultum accommodavit excellentissimum opus: *E vetustioribus scripsit Librum unum de cultura Hortorum L. I. Moderatus Columella, itidem versibus naturali venustate elegantibus, et vere Latinis, Cui primo incidit supplere hoc argumento Virgilii Georgica. Nec successit infeliciter. Etiam Palladius libro decimo tertio de Insitione scripsit versu Elegiaco.*

P A R S VII.

Epilogi instar de felicitate vitae rusticae, cuius commoda praefert commodis vitae urbanae.

O! fortunatos uimium, sun si bona norint,

Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
 Fundit humo facilem victum iustissima tellus.
 Si non ingentem foribus domus alta superbis
 Mane salutantum totis vomit aedibus undam,
 Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
 Illusaque auro vestes, Ephyreiaque aera.
 Alba neque Assyrio fucatur lana veneno,
 Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi.
 At secura quies, et nescia fallere vita,
 Dives opum variarum; at latis otia fundis,
 Speluncae, vivique lacus; at frigida tempe,
 Mugitusque boum, mollesque sub arbore somn
 Non absunt. Illic saltus, ac lustra ferarum,
 Et patiens operum, parvoque adsueta inventus,
 Sacra Deum, sanctique Patres; extrema per illos
 Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Fortunatus et ille, Deos qui novit agrestes,
 Panaque, silvarumque senem, Nymphasque sorores.
 Illum non populi fasces, non purpura Regum
 Flexit, et infidos agitans discordia fratres,
 Aut coniurato descendens Dacus ab Istro.
 Non res Romanae, perituraque regna, neque ille
 Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
 Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
 Sponte tulere sua, carpsit; nec ferrea iura,
 Insanumque forum, aut populi tabularia vidit,
 Solicitant alii remis freta coeca, ruuntque
 In ferrum, penetrant aulas, et limina Regum.
 Hic petit excidiis urbem, miserosque penates,
 Ut gemma bibat, et Sarrano indormiat ostro;
 Condit opes alius, defossoque incubat auro;
 Hic stupet attonitus rostris, hunc plausus hiantem
 Per cuneos (geminatur enim) plebisque, Patrumque
 Corripuit, gaudent perfusi sanguine fratrum,
 Exilioque domos, et dulcia limina mutant,
 Atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem,
 Agricola incurvo terram dimovit aratro,
 Hinc anni labor, hinc patriam, parvosque nepotes
 Sustinet, hinc armenta boum, meritosque iuvenco.
 Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
 Aut foetu pecorum, aut Cerealis mergito culmi,

Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.

Venit hiems, teritur Sycionia bacca trapetis,
 Glande sues laeti redeunt, dant arbuta silvae,
 Et varios ponit foetus autumnus, et alte
 Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
 Interea pendent dulces circum oscula nati,
 Casta pudicitiam servat domus; ubera vaccae
 Lactea demittunt, pinguesque in gramine laeto
 Inter se adversis luctantur cornibus haedi.
 Ipse daes agit festos, fususque per herbam
 Ignis, ubi in medio, et secii cratera coronant,
 Te libans, Lanace, vocat, pecorisque Magistris
 Velocis iaculi certamina ponit in ulmo,
 Corporaque agresti nudat praedura palaestra.

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,
 Hanc Remus, et frater, sic fortis Hetruria crevit.
 Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
 Septem quae una sibi muro circumdedit arces.

Adnot. Haec vitae rusticae descriptio; item illa
 apud *Horat. Sat. VI. L. 2.* Item quae est in Li-
 bro *Epod. Od. 2.* tam eminentibus picturis lucent,
 ut apud *Classicos Scriptores* nil quaeras hoc in
 genere splendidius, et exstantius. *Hinc Horat. sum-
 sit imagines.*

DELECTUS

E Q. HORATII FLACCI

SATYRIS, ET EPISTOLIS.

*Vita Horatii proponitur in delectu aucto-
 rum accommodato ad Institutiones Ora-
 torias. Hic igitur tantum de eiusdem
 Satyris, et Epistolis aliqua, quae ad eas
 diligenter legendas excitare possint, emo-
 lumentorum suorum cupidos iuvenes*

adferimus. In quo Scriptorum genere nihil illo est praestantius. In eoque Cornel. Schrevelius tot pene vivendi documenta inesse, quot sunt versus, admiratur, in Epistola ad Lectorem suae edit. Horatianae, tot sententias, quot verborum sensus. Omnia ibi invenire ait, quae ad recte, sancte, tranquille, ac beate vivendum a profano homine proficisci potuerunt; arguta, et graviter praecepta, exemplisque Poëtarum. Historiarum, ac de communis vitae copia depromptis explicata, confirmata, et quasi condita. Quare Morhoffius Polyhist. Tom. I. L. 3. iudicat, Satyras omnes memoria tenendas, tum in vita ipsa, tum in sermone usui futuras, in quibus omnia essent elegantissima; dictio nitida, et si numeri tollantur, sermoni soluto apta; urbanitas mira, sales candidi ex abdito erutae sententiae, argutiae non coactae, merae Charitas omni occasione aptae. Proinde minime mirum est, quod eum Caselius vitae Magistrum commendet, nec dubitaverit affirmare, si quis in hoc Poëta multum operae poneret, et eum ita perdisceret, ut eius versus non in memoria tantum, et ore natos, et extemporaneos haberet, sed probe etiam intellectos ad usus vitae transferret, (nec vero defuisse, qui id praestiterint) eum posse rebus suis, suorumque recte in omnibus aliquid boni consilii, invenire, nec minus patriae posse

prospicere. Secutus est in Satyris Romanos illos Ennium, et Lucilium; in Epistolarum Libro primo agit Ethicum Philosophum; in II. Criticum, adnumerata huc epistola ad Pisones.

LIBRI I. SATYRA I.

In hominum inconstantiam, et avaritiam invehitur.

Qui fit Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
 Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
 Contentus vivat, laudet diversa sequentes?
 O! fortunati mercatores, gravis annis
 Miles ait, multo iam fractus membra labore,
 Contra mercator navim jactantibus austris,
 Militia est potior; quid enim? concurritur, horae
 Momento cita mors venit, aut victoria laeta.

Agricolam laudat iuris, legumque peritus,
 Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
 Ille datis vadibus, qui rure exactus in urbem est,
 Solos felices viventes clamat in urbe.
 Cetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem
 Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi,
 Quo rem deducam. Si quis Deus, en ego, dicat.
 Iam faciam, quod vultis, eris tu, qui modo miles,
 Mercator; tu consultus modo, rusticus; hinc vos
 Vos hinc mutatis discedite partibus; eia
 Quid statis? nolint. Atqui licet esse beatis.
 Quid causae est, merito quin illis Iupiter ambas
 Iratus buccas inflet, neque se fore posthac
 Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem.

Praeterea ne sic, ut qui iocularia, ridens
 Percurram; quanquam ridentem dicere verum
 Quis vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
 Doctores, elementa velint ut discere prima.
 Sed tamen amoto quaeramus serla ludo.

Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
 Perfidus hic caupo, miles, nautaeque per omne
 Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
 Se se ferre, senes ut in otia tuta recedant,
 Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria; sicut
 Parvula (nam exemplo est,) magni formica laboris,
 Ore trahit, quodcunque potest, atque addit acervo.
 Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri,
 Quae simul inversum contristat Aquarius annum,
 Non usquam prorepit, et illis utitur, ante
 Quaesitis sapiens; cum te neque fervidus aestus
 Dimoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,
 Nil obstet tibi, dum ne sit ditior alter.
 Quid iuvat immensum te argenti pondus et auri
 Furtim defossa timidum deponere terra?
 Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.
 At ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?

Millia frumenti tua triverit area centum.
 Non tuus hoc capiet venter plus, quam meus. ut si
 Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
 Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
 Naturae fines viventi, iugera centum, an
 Mille aret. At suave est ex magno tollere acervo,
 Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquo.
 Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
 Ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna,
 Vel cyatho, et dicas: magno de flumine malle,
 Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere. Eo fit,
 Plenior ut si quos delectet copia iusto,
 Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
 At qui tantulo eget, quanto est opus, is neque limo
 Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis
 At bona pars hominum decepta cupidine falso,
 Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis;
 Quid facias illi? iubeas miserum esse libenter,
 Quatenus id facit. Ut quidam memoratur Athenis
 Sordidus, ac dives populi contemnere voces
 Sic solitus: populus me sibilat, at mihi plaudo
 Ipse domi simulac numos contemplor in arca.

Tantalus a labris sitiens fugientia captat
 Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
 Fabula narratur. Congestis undique saccis
 Indormis inhians, et tanquam parcere sacris
 Cogaris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
 Nescis, quo valeat numus? quem praebeat usum?
 Panis ematur, olus, vini sextarius, adde,
 Queis humana sibi doleat natura negatis.
 An vigilare metu exanimem, noctesque, diesque
 Formidare malos fures, incendia, servos,
 Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? horum
 Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

At si condoluit tentatum frigore corpus,
 Aut alius casus lecto affixit, habes, qui
 Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
 Suscitet, ac reddat natis, carisque propinquis.
 Non uxor salvum te vult, non filius, omnes
 Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellae.
 Miraris, cum tu argento post omnia ponas.
 Si nemo praestet, quam non merearis amorem?

Quid mi' igitur suades? ut vivam Maenius? aut sic
 Ut Nomentanus? pergis pugnantia secum
 Frontibus adversis componere. Non ego avarum
 Cum veto te flere, vappam iubeo, ac nebulonem.
 Est inter Tanaim quiddam, socerumque Viselli.
 Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
 Quos ultra, citraque nequit consistere rectum,
 Illuc, unde abii, redeo. Nemon' ut avarus
 Se probet, ac potius laudet diversa sequentes?
 Quodque aliena capella gerat distentius uber
 Tabescat, neque se maiori pauperiorum
 Turbae comparet! hunc atque hunc superare laboret?
 Sic festinanti semper locupletior obstat;
 Ut cum carceribus missos rapit ungula currus.
 Instat equis auriga suos vincentibus, illum
 Praeteritum temnens extremos inter euntem.
 Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
 Dicat, et exacto contentus tempore vitae
 Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.

Iam satis est, ne me Crispini scrinia Lippi
 Compilasse putes; verbum non amplius addam.

E LIBRO I. SAT. 3.

*Aliena peccata quisque videt, ad propria coecutit.
Leviora peccata in amicis debent excusari.*

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
 Ut nunquam inducant animum cantare rogati;
 Iniussi nunquam desistant. Sardus habebat
 Ille Tigellius hoc; Caesar, qui cogere posset,
 Si peteret per amicitiam patris, atque suam, non
 Quidquam proficeret; si collibuisset, ab ovo
 Usque ad mala citaret, Io Bacche! modo summa
 Voce, modo hac resonat quae chordis quatuor ima.
 Nil aequale homini fuit illi; saepe velut qui
 Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
 Iunonis sacra ferret. Habebat saepe ducentos,
 Saepe decem servos. Modo Reges, atque tetrarchas,
 Omnia magna loquens; modo sit mihi mensa tripes, et
 Concha salis puri, et toga, quae defendere frigus,
 Quamvis crassa, queat. Decies centena dedisses
 Huic pareo paucis contento, quinque diebus
 Nil erat in oculis. Noctes vigilabat ad ipsum
 Mane, diem totam stertebat. Nil fuit unquam
 Sic impar. sibi. Nunc aliquis dicat mihi, quid tu,
 Nullane habes vitia? imo alia haud fortasse minora.
 Maenius absentem Novium cum carperet, heus tu
 Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis
 Verba putas? Egomet mi' ignosco Maenius inquit.
 Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari.
 Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
 Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
 Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? at tibi
 contra
 Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
 Iracundior est paulo, minus aptus acutis
 Naribus horum hominum, rideri possit, eo quod
 Rusticius tonso toga defluat, et male laxus
 In pede calceus haeret. Atest bonus, ut melior vir
 Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium
 ingens

Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
 Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
 Natura aut etiam consuetudo mala; namque
 Neglectis urenda filix innascitur agris.

Illuc praeventamur, amatorem quod amicae
 Turpia decipiunt coecum vitia, aut etiam ipsa haec
 Delectant; veluti Balbinum polypus agnae,
 Vellem in amicitia, sic erraremus, ut isti
 Errori nomen virtus posuisset honestum.

At, pater ut gnati, sic nos debemus amici,
 Si quod sit, vitium non fastidire. Strabonem,
 Appellat paetum pater, et pullum, male parvus
 Si cui filius est, ut abortivus fuit olim

Sisyphus: hunc varum distortis cruribus, illum
 Balbutit scaulum, pravis fultum male talis.

Parcius hic vivit, frugi dicatur; ineptus,
 Et iactantior hic paulo est, concinnus amicis
 Postulat, ut videatur; at est truculentior, atque
 Plus aequo liber: simplex, fortisque habeatur.

Caldior est, acres inter numeretur; opinor,
 Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.

At nos virtutes ipsas invertimus, atque
 Sincerum cupimus vas incrustare; probus quis
 Nobiscum vivit, multum est demissus homo; illi
 Tardo, cognomen pingvis damus. Hic fugit omnes
 Insidias, nullique malo latus obdit apertum,
 Cum genus hoc inter vitae versetur, ubi acris.
 Invidia, atque vigent ubi crimina, pro bene sano,
 Ac non incauto, fictum, astutumque vocamus.

Simplicior si quis (qualem me saepe libenter.
 Obtulerim tibi Maecenas) ut forte legentem,
 Aut tacitum impellat quovis sermone molestus,
 Communi sensu plane caret, inquamus. Eheu
 Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
 Nam vitiis nemo sine nascitur. Optimus ille est.
 Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut aequum est,
 Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce
 (Si modo plura mihi bona sunt) inclinet, amari
 Si volet, hac lege in trutina ponetur eadem.
 Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,

Postulat, ignoscat verrucis illius; aequum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

Adnot. Ab iocoso exordio, et quod nihil serium praefert, ad praestantissimas morum praeceptiones venit *Horat.* in hac *Satyra*, et ad finem usque *Satyrae* eas continuari deprehendes. Subiungimus nunc unam ex *Epistolis* quoque eiusdem Poëtae, quae non minoris sunt, quam *Satyrae* utilitatis.

LIBRI I. EPISTOLA II.

AD LOLLIIUM.

Reprimendae sunt cupiditates, virtus mature exercenda.

Troiani belli scriptorem, maxime Lolli!
Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi,
Quicquid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid
non,

Plenius, ac melius Chrysippo, et Crantore dicit.
Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.

Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae lento collisa duello,
Stultorum Regum, et populorum continet aestus.
Antennor censet belli praecidere causam:
Quid Paris? ut salvus regnet, vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat, et inter Atriden.
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere, atque libidine, et ira,
Iliacos intra muros peccatur et extra.

Rursus quid virtus, et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem,
Qui domitor Troiae, multorum providus urbes,
Et mores hominum inspexit, latumque per aequor,
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.

Sirenū voces, et Circes pocula nosti,
 Quae si cum sociis stultus, cupidusque bibisset,
 Sub domina meretrice fuisset turpis, et excors.
 Vixisset canis immundus, et amica lutosus.

Nos numerus sumus, et fruges consumere nati,
 Sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique,
 In cute curanda plus aequo operata iuventus,
 Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
 Ad strepitum Cytharae cessatum ducere curam.

Ut iugulent homines, surgunt de nocte latrones;
 Ut te ipsum servēs, non expergisceris? atqui
 Si noles sanus, curres hydropicus, et ni
 Posces ante diem librum cum lumine, si non
 Intendas animum studiis, et rebus honestis,
 Invidia, vel amore vigil torquebere; nam cur
 Quae laedunt oculos, festinas demere, si quid
 Est animum, differs curandi tempus in annum?
 Dimidium facti, qui coepit, habet; sapere aude,
 Incipe: qui recte vivendi prorogat horam,
 Rusticus exspectat, dum defluat amnis, at ille
 Labitur, et labetur in omne volubilis aevum.

Quaeritur argentum, puerisque beata creandis
 Uxor, et incultae pacantur vomere silvae.
 Quod satis est, cui contingit, nihil amplius optet;
 Non domus, et fundus, non aeris acervus, et auri
 Aegroto domini deduxit corpore febres,
 Non animo curas. Valeat possessor, oportet,
 Si comportatis rebus bene cogitat uti.
 Qui cupit, aut metuit, iuvat illum sic domus, et res,
 Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
 Auriculas cytharae collecta sorde dolentes
 Sincerum est nisi vas; quodcunque infundis, acescit.

Sperne voluptates: nocet emta dolore voluptas.
 Semper avarus eget: certum voto pete finem.
 Invidus alterius marcescit rebus opimis.
 Invidia Siculi non invenere tyranni
 Maius tormentum. Qui non moderabitur irae,
 Infectum volet esse, dolor quod svaserit, et mens,
 Dum poenas odio per vim festinat inulto.
 Ira, furor brevis est; animum rege, qui nisi iparet,

Imperat: hunc fraenis, hunc tu compesce catena.

Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, quam monstrat eques; venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silyis catulus; nunc adhibe puro
Pectore verba puer, nuuc te melioribus offer.
Quo semel est inbuta recens, servabit odorem
Testa diu; quod si cessas, aut strenuus anteis,
Nec tardum opperior, nec praecedentibus inсто.

a) *Adnot.* Commendamus mirum in modum Lectori venusti gustus *Epistolam 5. Libri I.* quam *Parthenius* totam bellam; *Scaliger*, puram admodum, minimeque ambitiosam vocant. Item: eiusdem Lib. *sextam*, quam idem *Parthen.* admirabilem. *Torrentius* eruditam, *Landinus* auream nominant. Item: eiusd. Lib. *septimam*; de qua haec *Scaliger*: *Septima* adeo est elegans, adeo urbana, ut ad eas virtutes nihil addi posse videatur. Sed et in eodem libro *decima septima*: est gravis, elegans, erudita, et callida. Ceterum omnes sunt ad mores emendandos idoneae, eo magis, quod urbanitate, et salibus respersae magnas plerumque secant res.

6.) *Troiani belli scriptor* (fuit *Homerus*, ostendens exemplis, quid sectari, quid fugere debeas melius, quam *Philosophi*, maxime *Lolli*). De hoc meminit *Velleius L. 2. et Svet. in Tiber, C. 12. et 15.* Is subinde militum *Tribunus Caio Caes.* in *Armeniam* proficiscenti rector datus ab *Augusto*. Quod est maximi ingenii, summaeque integritatis iudicium. Is exercitii causa *Romae* ex *Homeri* scriptis aliquid recitabat, aut praeclare disserebat, quod faciebant praestantes quique viri. *Chrysippus*) *Stoicus Philosophus*, *Crantor*) *Academicus*, quem *Cicero* in *Quaest. Acad.* laudat. *Fabula*) vocatur carmen *Epicum*, nempe *Ilias Homeri*, quia ibi multa conficta afferuntur, ut *Poësis* exigit.

DELECTUS

E. D. JUNII JUVENALIS

SATYRIS.

Decius Iunius Iuvenalis primam lucem aspexit Aquini, in urbe Italiae. Fuit libertini locupletis (ut Svetonius in eius vita prodidit) filius. Romam veniens ad mediam fere aetatem declamavit animi magis causa, quam quod se Scholae, aut Foro praepararet. Postea ad Satyras scribendas se contulit. Cum autem Domitiano Imperatori gratiosum histrionem, nomine Paridem, aliquot versibus aperte carperet, qui in Satyra, quae est ordine septima, leguntur, venit in suspicionem, quasi tempora notasset; itaque cum Romae eum publice punire non auderet Imperator, Praefectum cohortis, quae in extremam Aegypti partem mittebatur, constituit, et per speciem militaris honoris in exilium relegavit. Sveton. refert: taedio, et angore ibi esse mortuum; alii post annos decem, caeso Paride, interfecto etiam Domitiano, eiusque actis rescissis, ab exilio fuisse revocatum, et e Satyris, quas XVI. reliquit, duas in exilio, reliquas partim sub Domitiano, partim sub Traiano, quasdam sub Adriano scripsisse tradunt, ad cuius annum quartum pervenisset, qui incidit in an. U. C. 872. Christi 119. Editiones eius Satyrarum laudantur: Paris. 1585. et 1590. in 8. cum notis, et interpret. Petri Pithoei, et iterum Pa-

ris. 1615. et Londin. 1647. in 8. et cum Persio simul Paris. 1616. in 12. et Rhotomag. 1697. cum not. et interpret. Jos. Iuvencii. In usum Delphini simul cum Persio Paris. 1684. in 8. etc. Plures, et recentiores quidem facile deprehenduntur.

Inter viros doctos quaestio est: Iuvenalis, an Horatius habendus sit Princeps, qui prae isto alterum admirantur; non negant quidem sententiarum lacertos esse in Horatio expressos sermone lecto, et puro; sed non esse parem Iuvenali argumentorum varietate, neque tractandi dexteritate, neque ubertate inventionis, neque acrimonia reprehensionis; cum praeterea virtutes Horatii in eo non desiderentur, ob idque accuratiorem Satyrae esse Auctorem. Qui in Horatium inclinant, sic dicunt; quod alter elato dicendi genere, et acrimonia tentavit, id alter ingenii elegantia, urbanis salibus, et nativa, puraque simplicitate perfecit. Pace priorum, nos quoque in hanc sententiam pedibus imus, et facetum illud, salsum, festivum, plus in animis efficere affirmamus, quam vehemens, grave, pugnae; acerbum; quod non modo ipse Horatius non sequi se Lib. I. Sat. 10. fatetur; sed de illo etiam Persius Sat. 1. idem sentit inquiens:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia, ludit,

E SATYRA 8.

De vera, et falsa Nobilitate.

a) Stemmata quid prosunt? quid prodest, Pontice!
longo

Sanguine censeri; pictosque ostendere vultus
 Maiorum, et stantes in curribus Aemilianos,
 Et Curios iam dimidios, humerisque minorem
 Corvinum, et Galbam auriculis, nasoque carentem?
 Qui fructus generis tabula iactare capaci
 Corvinum, et posthac multa deducere virga
 Fumosos Equitum cum Dictatore Magistros,
 Si coram Lepidis male vivitur? Effigies quo
 Tot bellatorum, si luditur alea pernox
 Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
 Luciferi, quo signa duces, et castra movebant?
 Cur Allobrogicis, et magna gaudeat ara
 Natus in Herculeo Fabius lare? si cupidus, si
 Vanus, et Euganea quantumvis mollior agna:
 Squalentes traducit avos, emtorque veneni
 Frangenda miseram funestat imagine gentem.
 Tota licet veteres exornent undique cerae
 Atria. nobilitas sola est, atque unica virtus.

b) Paulus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
 Hos ante effigies maiorum pone tuorum.
 Praecedant ipsas illi te Consule, virgas;
 Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi
 Iustitiaeque tenax factis, dictisque mereris,
 Agnosce Procerem, salve Getulice! seu tu
 Silanus, quocumque alio de sanguine rarus
 Civis, et egregius patriae contingis ovanti.
 Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
 Invento; quis enim generosum dixerit hunc, qui
 Indignus genere, et praeclaro nomine tantum
 Insignis? nanum cuiusdam Atlanta vocamus:
 Aethiopem cygnum: parvam extortamque puellam,
 Europen: canibus pigris, scabieque vetusta
 Laevibus, et siccae lambentibus ora lucernae,
 Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est,

Quod fremit in terris violentius; ergo cavebis,
Et metues, ne tu sis Creticus, aut Camerinus.

c) His ego quem monui? tecum est mihi sermo
Rubelli.

Plaute! tu mes alto Drusorum stemmate, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Ut te conciperet, quae sanguine fulget Iuli,
Non quae ventoso conducta sub aëre textit.

d) Vos humiles, iuquis, vulgi pars ultima nostri.
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis,
Ast ego Cecropides. Vivas, et originis huius
Gaudia longa feras: tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies, solet hic defendere causas,
Nobilis indocti; veniet de plebe togata,
Qui iuris nodos, et legum aenigmata solvat.
Hic petit Euphraten iuvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil, nisi Cecropides. truncoque simillimus Hermae.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, et et exultat rauco victoria circo
Nobilis hic, quocunque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios, et primus in aequore pulvis:
Sed venale pecus Corythae, posteritas et
Hirpini, si rara jugo victoria sedit.
Nil ibi maiorum respectus, gratia nulla
Umbrarum, dominos pretiis mutare iubentur
Exiguus, trito ducunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.

Ergo, ut miremur te, non tua; primum aliquid da,
Quod passim titulis incidere, praeter honores,
Quos illis damus. et dedimus, quibus omnia debes.
Haec satis ad iuvenem, quem nobis fama superbum
Tradit, et inflatum plenumque Nerone propinquo;
Rarus enim ferme sensus communis in illa
Fortuna, sed te censeri laude tuorum,
Pontice! noluerim, sic ut nihil ipse futurae

Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famae.
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.

Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguae si quando citabere testis,
Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dietet periuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori.
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte perit, coenet licet ostrea centum
Gaurana, et Cosmi toto mergatur ahenno.

e) Exspectata diu tandem Provincia cum te
Rectorem accipiet, pone irae fraena, modumque,
Pone et avaritiae: miserere inopum sociorum.
Ossa vides Regum vacuis exhausta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid curia mandet,
Praemia quanto bonos maneant, quam fulmine iusto.
Et Capito, et Numitor ruerint, damnante Senatu,
Piratae Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Cum Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Curandum inprimis, ne magna iniuria fiat
Fortibus, et miseris, tollas licet omne, quod usquam
est

Auri, atque argenti; scutum, gladiumque relinques,
Et iaculum, et galeam; spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui, non est sententia, verum est.
Credite me vobis folium recitare Sybillae,

Quid Catilina, tuis natalibus, atque Cethegi
Inveniet quidquam sublimius? arma tamen vos
Nocturna, et flammam domibus, templisque parastis,
Ut Braccatorum pueri, Senonumque minores,
Ausi, quod liceat tunica punire molesta.

Sed vigilat Consul, vexillaque vestra coercet.
Hic novus Aepinas, ignobilis, et modo Romae
Municipalis Eques, galeatum ponit ubique
Praesidium attonitis, et in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis, et tituli; quantum non Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
Caedibus assiduis gladio, sed Roma parentem,
Roma patrem, patriae Ciceronem libera dixit.

f) Plebeiae Deciorum animae, plebeia fuerunt Nomina: pro totis legionibus hi tamen, et pro Omnibus auxiliis, atque omni pube latina, Sufficiunt Diis infernis, Terraeque parenti; Pluris enim Decii, quam quae servantur ab illis,

g) Ancilla natus trabeam; et Diadema Quirini, Et fasces meruit, Regum ultimus ille honorum. Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis Aeacidae similis, Vulcaniaque arma capessas. Quam te Thersitae similem producat Achilles. Et tamen ut longo repetas, longeque revolvas Nomen, ab infami gentem deducis asylo. Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum, Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Adnot. In simili argumento, quo ostendit veram Nobilitatem non generis splendore, aut avorum titulis, sed virtute, et morum honestate meliendam esse, ut versatur *Horatius*, lege Satyram 6-tam Libri I. Ad intelligendum *Iuvenalem*, et *Persium* adhibe, si nequeas obtinere aliam editionem, Scholis accommodatam, quae prodiit Venetiis 1761. cum interpret. et notis *P. Ios. Iuvenicii e S. I.* quae parabilis est, et pretii modici. E notulis pauca hic subiicimus.

In §-pho (a) *Pontice*, vel amicus Poëtae, vel quispiam nobilis arrogans. *Pictos vultus*. Imagines maiorum, et nomina in parte prima aedium collocabantur. *Stantes etc.* Statuas triumphales, quibus stantas in triumphali curru repraesentabantur, quae temporum diuturnitate exesae, imminutae, humeris, naso, auriculis truncatae sunt. Ex. gr. *Aemiliani, Curii, Corvini, Galbae*, etc. *Scipio Aemilianus*, Pauli Aemilii filius ob Numantiam, Hispaniae urbem deletam, dictus *Numantinus M. Curius* inter veteres Roman. vir exactissimae frugalitatis, et perfectae fortitudinis specimen. De quo Cic. in *Senect.* Horat. L. I. Od. 12. Val. Max. L. IV. Cap. 2. *Valerius Corvinus*, Gallum, ope Corvi perter-

rentis adversarium devicit. Hinc eius appellatio. *Galba* fuit septimus Romanorum Imperator. *Aemilius Lepidus* bis Consul, Pontifexque Max. *Fabius Max.* ob victos *Allobroges*, sibi suisque posteris, *Allobrogici* cognomen invenit. *Ara maxima* Herculis, de qua Ovid. Fast. L. I. v. 575. et Virgil. Aeneid. VIII. *Eugenii* populi circa Patavium, ubi ovium lana mollissima.

In §-pho (b) *Paulus Aemilius*, qui *Perseum* vicit. *Cossus* sub Augusto *Getulos* Africae gentem domuit, unde *Getulicus* dictus. *Claudius Drusus*, ab hostium Duce *Druso* trucidato, nomen *Drusi* reportavit. Vel, *Livius Drusus*, Salinator cognomine, qui *Hasdrubalem* Consul. vicit. *Silanus* P. *Scipionis* legatus *Paenos* in Africa domuit.

In §-pho (c) *Rubellius Plancus*, vir nobilissimus *Neronis* tempore, quem ut praesentem alloquitur Poëta. Nisi fuerit tunc aliquis eius familiae, et nominis. Prior ille pari gradu sanguinis contigebat Augustum, ac *Nero*, cuius mater non ut plebeia sub dio telam fecit, ut ait *Juvenal.*

In §-pho (d) *Cecropides*. A *Cecrope*, primo Atheniensium Rege prognati *Cecropidae* dicti. Ita *Rubellius* a prima familia originem se ducere iactat, quasi Athenis *Cecropidae*. *Hermae*, sunt *Mercurii* statuae capite truncatae, caput quidem marmoreum imponebatur, reliqua pars corporis imposita erat, et rudis; humeri sine brachiis. Simulacra talia in privatis et publicis locis exponebantur.

In §-phis (e, f, g) *Iulius Numitor*, et *Copito* damnati sunt, quod *Ciliciam*, cui praeerant, spoliassent, et ipsorum piratarum spoliatores fuissent; *Cilices* enim piraticam exercebant. *Decius*, pater, et filius homines ignobiles. Ille bello Latino, ut *Liv.* L. VIII. C. 9. et seq. memorat; filius bello Samnitico, apud eundem *Liv.* L. XX. Cap. 28. et

seq. pro Legionibus Romanis in mortem se coniec-
 erunt. Uti et Nepos, bello contra Pyrrhum gesto,
ancilla natus fuit. Servius Tullus, Rex Romano-
 rum, matre captiva natus, cui successit Tarquinius
 Superbus, Rex pessimus, *Thersites*, omnium Grae-
 corum ad Troiam animo, et corpore maxime de-
 formis. *Aeacides*, fuit Achilles, Aeaci Nepos, qui
 acceptis a *Vulcano* armis mira edidit facinora.

E SATYRA 10.

*Ridet hominum vota, quibus se felices fore
 arbitrantur.*

Omnibus in terris, quae a Gadibus usque
 Auroram, et Gangem, Pauci dignoscere possunt
 Verba bona, atque illis multum diversa, remota
 Erroris nebula, quid enim ratione timemus,
 Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis ut te
 Conatus non poeniteat, votique peracti?

Evertere domos totas optantibus ipsis
 Dii faciles. Nocitura toga, nocitura petuntur
 Militia; torrens dicendi copia multis,
 Et sua mortifera est facundia; viribus ille
 Confisus periit, admirandisque lacertis.

Sed plures nimia congesta pecunia cura
 Strangulat, et cuncta exuperans patrimonium census.

Prima fere vota, et cunctis notissima templis,
 Divitiae ut crescant, et opes, ut maxima toto
 Nostra sit arca foro; sed nulla acouita bibuntur
 Fictilibus, tunc illa time, cum pocula sumes
 Gemmata, et luto Setinum ardebit in auro.

Quosdam praecipitat subiecta potentia magnae
 Invidiae, mergit longa, atque insignis honorum
 Pagina, descendunt statuae, restemque sequuntur.
 Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
 Caedit, et immeritis franguntur crura caballis.
 Iam strident ignes, iam follibus, atque caminis
 Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens
 Seianus, deinde ex facie toto orbe secunda

Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellae.
 Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
 Seianum nuuc; nam nimios optabat honores,
 Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
 Excelsae turris tabulata, unde altior esset
 Casus, et impulsae praeceps immane ruinae,
 Quid Crassos, quid Pompeios evertit, et illum
 Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
 Summus nempe locus, nulla non arte petitus,
 Magnaque numinibus vota exaudita malignis.
 Ad generum Cereris sine caede, et sanguine pauci
 Descendunt Reges, et sicca morte Tyranni.

Eloquium, ac famam Demosthenis, aut Ciceronis
 Incipit optare, et totis Quinquatribus optat
 Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam;
 Eloquio sed uterque periit Orator, utrumque
 Largus, et exundans leto dedit ingenii fons,

Expende Hannibalem, quot libras in Duce summo
 Invenies? hic est, quem non capit Africa, Mauro
 Perfusa Oceano, Niloque admota repenti
 Additur imperiis Hispania, Pyrenaeum

Transilit, opposuit natura Alpemque nivemque:
 Diduxit scopulos, et montem rupit aceto.
 Iam tenet Italiam, tamen ultra pergere tendit.
 Actum inquit, nihil est, nisi Poeno milite portas
 Frangimus, et media vexillum pono Suburra.

O! qualis facies, et quali digna tabella,
 Cum Getula Ducem portaret bellua luscum!
 Exitus ergo quis est? O gloria! vincitur idem
 Nempe, et in exilium praeceps fugit, atque ibi magnus
 Mirandusque clinens sedet ad praetoria Regis,
 Donec Bythino libeat vigilare tyranno.

Finem animae, quae res humanas miscuit olim,
 Non gladii, non saxa dabunt, non tela; sed ille
 Cannarum vindex ac tanti sanguinis ultor
 Annulus. I demens, et saevas curre per Alpes,
 Ut pueris placeas, et declamatio fias!

Unus Pellaeo iuveni non sufficit orbis:
 Aestuat infelix angusto limite mundi,
 Ut Gyrae clausus scopulis, parvaque Seripho.

Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
 Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,
 Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim
 Velificatus Athos, et quidquid Graecia mendax
 Audet in Historia, constratum classibus iisdem
 Suppositumque rotis solidum mare, credimus altos
 Defecisse amnes, epotaque flumina Medo.
 Me tamen qualis rediit Salamine relicta?
 Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis
 Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora.
 Has toties optata exegit gloria Poenus.

Da spatium vitae, multos da Jupiter annos,
 Hoc recto vultu, solum hoc, et pallidus optas.
 Sed, quam continuis, et quantis longa senectus
 Plena malis? deformem, et tetrum ante omnia vultum,
 Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
 Pendentisque genas, et tales aspice rugas,
 Quales umbriferos ubi pandit Tabracha saltus,
 In vetula scalpit iam mater simia bucca.

Nil ergo optabant homines? si consilium vis;
 Permittes ipsis expendere numinibus, quid
 Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris;
 Nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt Dii;
 Carior est illis homo, quam sibi, nos animorum
 Impulsu, et coeca, magnaue cupidine ducti
 Non modice nobis petimus nocitura frequenter.
 Ut tamen et poscas aliquid, voveasque sacellis
 Exta. et candiduli divina tomacula porci,
 Orandum est: ut sit mens sana in corpore sano.
 Fortem posce animum, et mortis terrore carentem,
 Qui spatium vitae extremum inter munera ponat.
 Naturae, qui ferre queat quoscunque labores,
 Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores,
 Herculis aerumnas credat, saevosque labores,
 Et Venere, et coenis, et plumis Sardanapali.
 Monstro, quod ipse tibi possis dare, semita certe
 Tranquillae per virtutem patet unica vitae.
 Nullum numen habes, si sit prudentia; nos te,
 Nos facimus, Fortuna, Deam, coeloque locamus.

ſ-pho 49. iudicat *Juvenalem* nonnunquam etiam philosophandi studio ultra *Satyræ* institutum exire, quo nomine memorabilem esse hanc *Satyram*, videlicet: *Decimam*.

Monitum. Brevitas, quam hic libellus præseferre debet, non patitur, ut *Aulii Persii Satyram* *ſ-tiam*, licet utilibus monitis lucentem, huic Auctorum delectui inseramus, quamvis propositum non defuerit eam hoc loco contracte ita, ut obscuritas tollatur, exhibere eo magis, quod sit stertentis juvenis cohortatio ad studia literarum ponderosis, iisque idoneis argumentis instructa. Spes est, ut siut e discipulis, qui proficiendi desiderio, dum in opus ipsum inciderint, iterum, ac iterum eam evolvant, intelligere studeant, fructumque referant.

DELECTUS

E Q. HORATII FLACCI ODIS

LIBRI III. IV. ET EPOD.

Horatium, sapientium Poëtarum Principem uno ore affirmant eruditi viri. Superius de eiusdem *Satyris*, ac *Epistolis* gravissima iudicia audivimus; hic, quid de *Odis* sentiant, ex omnibus unum, alterumve commemoremus. *Jul. Caes. Scaliger. Poët L. 6.* sic pronunciat: Est omnium Latinorum, Graecorumque Poëtarum elaboratissimus. Nam in Lyricis, quem sonum, quos numeros, quam maiestatem quaesivit, obtinuit. Pindaro accuratior, et sententiis crebrior, neque sibi, ut ille indulgens. In eo nihil hiat, nihil laxum est, omnia cohaerent, omnia tantae venustatis, ut et mihi, et aliis prudentioribus ademe-

rint spem talium studiorum. Idem, qui de Satyris, et Epistolis iudicavit *Cornelius Schrevelius*, in Odis miratur tam carminis, quam argumentorum varietatem, summam copiam, et svavitatem, sententias graves, argutas, artificiosissimas digressiones, oppido venustas. Nullus, nisi depravati sensus aliter. In quibus post Pindarum imitatus potissimum Alcaicum et Sapphonem, in libro Epoden, Archilochum secutus, et epitheta sumsit ex Homero, et Sophocle.

Monitum. Has ergo virtutes, quas inesse *Odis* paulo prius Duumviri recensuerunt, et multo plurimas alias harum similes doctus, et pulchri sensu praeditus Interpres, sicut in Horatii Odis, ita in ceteris *Auctorum operibus*, prout cūvis illorum propriae sunt, (ad usum enim istum de scriptis Romanis adiicimus eruditorum iudicia) exemplis ipsis aperte, convenienterque evolvat, et quasi digito, dum explanat, demonstret, sensumque pulchritudinis illarum virtutum in animis Discipulorum omni industria pro obligatione publici Informatoris promovere conetur. Id enim praecipuum munus est explicantis *Classicos Scriptores*. Nam nudam *significationem vocabulorum propositionum* plerumque iam huius Scholae iuvenes perspiciunt; quamvis neque hanc partem interpretationis negligendam dico. Plurimum tamen operae impendet Praeceptor, ut auditores sui perspicue, ac luculenter intelligant, ubi *dulcis lepor, svavitas carminis, delectus, aut sublimatus cogitatum eruditio. Stili vis, dignitas, splendor, varietas, ubi vivida, sensibilisque alicuius rei imago, ubi nitor, et apposite attemperatus color picturarum, vel mira, tenera, et quasi oculis adspectabilis affectuum exhibitio* sita sit; ubi *decorum ex characteribus, et moribus personarum* convenienter profluens, ubi *fortis,*

vel plane *eraestuans imaginatio*, aut *Romanae virtutis exemplum* ad imitationem, vel *foedae vitiorum turpitudinis* ad horrorem provocans exprimitur, interpretando enumerabit. Ne multa; quidquid iuvenum saporem literarium invitat, quasi in os ingeret, ut sic *Classicos etiam Poetas* tempestive amare, maximi facere discant, et ad ingenii cultum, atque ad emolumenta quarumlibet civilis vitae partium plurimum prodesse ex apta institutione agnoscant, planeque sentiant.

LIBRI III. ODE 1.

Non opibus aut honoribus, sed mediocri fortuna, vitaeque tranquilla constat felicitas. Ipsa prima Strophe est velut prooemium gravissimi carminis documenta pleraque ad mores pertinentia continentis.

Odi profanum vulgus, et arceo:
Favete lingvis: carmina non prius
Audita, Musarum Sacerdos
Virginibus, puerisque canto.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari Gyganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Est, ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendat in campum petitor,
Moribus hic, meliorque fama

Contendat, illi turba clientium
Sit maior: aequa lege necessitas
Sortitur insignes, et imos;
Omne capax movet urna nomen.

Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes

Dulcem elaborant saporem,
Non avium, cytharaeque cantus.

Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hoedi:

Non verberatae grandine vineae,
Fundusque mendax; arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.

Contracta pisces aequora sentiunt,
Lactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemptor
Cum famulis dominusque terrae

Fastidiosus; sed timor, et minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aërata triremi,
Post equitem sedet atra cura.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitia, Aechaemeniumque costum;

Cur invidendis postibus, et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

Adnot. In huius, et sequentis Libri, id est: III, et IV. carminibus potissimum enitescit illa, quam laudat *Petronius*, Horatii curiosa felicitas. De qua *Scaliger* haec profert: Libri III. Ode prima, ma-

gnifico dicendi genere structa est. Carmina eius plena sunt sapientiae, numerosa, ardua. *Secunda Ode* pariter altiloqua. *Tertia*, gravissima. *Quarta* nec Pindaro cedit, ac ne *Quinta* quidem. *Sexta* altissima sonat. *Quartam* utpote longiusculam privato studio ex ipso Horatii opere ediscendam Lectori commendamus. Adiuvabunt notulae editionis, quae in promptu est. Budensis, Tyrnaviensis, in usum *Sereniss. Desphini* apparatus; alioquin iam plurimum locorum typis antehac repetitae.

LIBRI III. ODE 2.

Pueros ab ineunte aetate assuefaciendos esse rei militari.

Angustam, amici; pauperiem pati
 Robustus acri militia puer
 Condiscat, et Parthos feroces
 Vexet eques metuendus hasta;

Vitamque sub dio, et trepidis agat
 In rebus, illum ex moenibus hosticis
 Matrona bellantis tyranni
 Prospiciens, et adulta virgo

Suspiret: Eheu! ne rudis agminum
 Sponsus lacessat regius asperum
 Tactu leonem, quem cruenta
 Per medias rapit ira caedes.

Dulce, et decorum est, pro patria mori;
 Mors et fugacem persequitur virum,
 Nec parcat imbellis iuventae
 Poplitibus, timidoque tergo.

Virtus repulsae nescia sordidae,
 Intaminatis fulget honoribus:
 Nec sumit, aut ponit secures
 Arbitrio popularis aurae.

Virtus recludens immeritis mori
 Coelum, negata tentat iter via,
 Coetusque vulgares, et udam
 Spernit humum fugiente penna.

Est et fideli tuta silentio
 Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
 Vulgarit arcanae, sub iisdem
 Sit trahibus, fragilemque mecum

Solvat phaselon. Saepe Diespiter
 Neglectus incesto addidit integrum ;
 Raro antecedentem scelestum
 Deseruit pede poena claudo.

Adnot. Theod. Marcilius mentem Horatii in hac Ode sic exponit, tria Reipubl. quasi membra complexus est Poëta: Artes belli, Artes pacis, Religionem. In prima Odae parte commendat Disciplinam militarem, in secunda virtutem, quam ad Forum, et Campum refert, in tertia Religionem, Tribus istis Reipublicae firmitas nititur.

LIBRI III. ODE 3.

*Justus vir nihil extimescit. Item ne Troia
 reparetur.*

Justum, et tenacem propositi virum,
 Non civium ardor prava iubentium,
 Non vultus instantis tyranni
 Mente quatit solida, neque Auster.

Dux inquieti turbidus Adriae,
 Nec fulminantis magna Jovis manus :
 Si fractus illabatur orbis,
 Impavidum ferient ruinae.

Hac arte Pollux, et vagis Hercules
 Enixus, arces attigit igneas :
 Quos inter Augustus recumbens
 Purpureo bibit ore nectar.

Hac te merentem, Bacche Pater! tuae
Vexere tygres, indocili iugum
Collo trahentes, hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit.

Gratum elocuta consiliantibus
Junone Divis: Ilion, Ilion,
Fatalis incestusque iudex,
Et mulier peregrina vertit.

In pulverem, ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi,
Castaque damnatum Minervae
Cum populo, et Duce fraudulento.

Jam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus Hospes, nec Priami domus
Periura, pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit.

Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus et graves
Iras, et invisum nepotem,
Troica quem peperit Sacerdos.

Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, et adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.

Dum longus inter saeviat Ilion,
Romanque pontus, qualibet exules
In parte regnante beati:
Dum Priami, Paridisque busto

Insultet armentum, et catulos ferae
Celent inultae, stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque poscit
Roma ferox dare iura Medis.

Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor

Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus.

Aurum irrepertum, et sic melius situm,
Cum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere humanos in usus,
Omne sacrum rapiente dextra.

Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae, pluviique rores:

Sed bellicosus fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebusque fidentes, avitae
Tecta velint reparare Troiae.

Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente vitrices catervas
Coniuge me Jovis, et sorore.

Ter si resurgat murus aheneus
Auctore Phoebō: ter pereat meis
Excisus Argivis; ter uxor
Capta virum, puerosque ploret.

Non haec iocosae conveniunt lyrae:
Quo Musa tendis? desine pervicax
Referre sermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

Adnot. In hac Ode coeco velut impetu fertur vates, at certe divino: ubi graves sunt, ac sublimes tam res, quam dictio. A viri iusti laudatione longe digressus, ad canenda Troiae fata prorumpit. Sagaciter sane; ne Julii Caesaris haeres id moliretur, quod Julium *Sveton. C. 79.* cogitasse ait, ut opes Roma Ilium transferat, eoque migret, quo facto Roma fuisset extincta. Arte ergo singulari tale consilium Horat. discutit, et Junonis iram pro-

ponit, quam a principio gravem experti sunt Romani.

LIBRI III. ODE 5.

Augusti laudes. Crassi vituperium, Reguli virtus, fides, constantia.

Coelo tonantem credidimus Iovem
Regnare: praesens Divus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio, gravibus Persis.

Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit? et hostium
(Proh Curia, inversique mores!)

Consenuit socerorum in armis
Sub Rege Medo, Marsus. et Appulus,
Anciliorum et nominis, et togae

Oblitus, aeternaeque Vestae,
Incolumi Iove, et urbe Roma?

Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus

Foedis, et exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum,

Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma

Militibus sine caede, dixit,

Direpta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,

Portasque non clausas, et arva
Marte coli populata nostro.

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit? Flagitio additis

Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco;

Nec vero virtus, cum semel excidit.

Curat reponi deterioribus,

Si pugnat extricata densis

Cerva plagis: erit ille fortis

Qui perfidis se credidit hostibus?

Et Marte Poenos proteret altero,

Qui lora restrictis lacertis
 Sensit iners, timuitque mortem?
 Hic, unde vitam sumeret, inscius
 Pacem duello miscuit. O pudor!
 O magna Carthago, probrosis
 Altior Italiae ruinis?
 Fertur pudicae coniugis osculum,
 Parvosque natos, ut capitis minor,
 Ab se removisse, et virilem
 Torvus humi posuisse vultum.
 Donec labantes consilio patres
 Firmaret auctor nunquam alias dato,
 Interque moerentes amicos
 Egregius properaret exul.
 Atqui sciebat, quae sibi barbarus
 Tortor pararet: non aliter tamen
 Dimovit obstantes propinquos,
 Et populum reditus morantem,
 Quam si clientum longa negotia
 Diudicata lite relinqueret,
 Tendens Venafranos in agros,
 Aut Lacedaemonium Tarentum.

Adnot. Finge, si potes, *Reguli Magnanimitatis*,
et constantiae Imaginem, quae sensus magis feriat.
 Quam Poëta e pluribus quidem, sed sic, ne mul-
 titudine confundantur, et quasi ex obviis, sed ad
 finem suum magni momenti circumstantiis compo-
 sitam pingit. Expende accurate imaginis delinea-
 tionem a verbis: *Vidi ego Punicis etc.* usque ad
 finem examina colores; mirari debebis summum
 pictorem.

LIBRI III. ODE 6.

*E Religionis contemptu, et depravatione morum
 fluxisse Italiae calamitates.*

1. Delicta maiorum immeritus lues
 Romane! donec templa refeceris,

- Aedesque labentes Deorum, et
Foeda nigro simulacra fumo.
2. Diis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dij multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.
5. Iam bis Monaeses, et Pachori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, et adiecisse praedam
Torquibus exiguis renidet.
4. Pene occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus, et Aethiops;
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
5. Fecunda culpa secula, nuptias
Primum inquinavere, et genus, et domos;
Hoc fonte derivata clades
In patriam, populumque fluxit.
6. Motus doceri gaudet Ionicos
Matura Virgo, et fingitur artibus:
Iam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui.
7. Non his iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico
Pyrrhumque; et ingentem cecidit
Antiochum, Annibalemque dirum.
8. Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, et severae
Matris ad arbitrium recisos
9. Portare fustes, sol ubi montium
Mutaret umbras, et inga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.
10. Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorum.

Adnot. Sub Num. 4. Tempa fuerunt bellorum civilium incendiis foedata, quin et victorum ava-

ritia direpta; ut ipse Poëta *L. I. Od. 55.* testatur. Augustus tam ipse multas aedes extruxit, quam ceteros principes viros ad id faciendum hortatus est. Quid ergo mirum, si urbem marmoream reliquit, quam lateritiam acceperat. *Ut Sveton.* in Octav. *Sub Num. 2.* Neglecta Deorum religio, causa fuit Italiae calamitatum. Atqui Deus Op. Max. bona ingentia promittit sua praecepta servantibus, contra negligentibus gravia mala minatur *Lev. C. 26. Deut. C. 28.* Non haec nos moveant? *Sub Num. 3.* Monaeses apud Parthos insignis vir potentia, et opibus. Pachorus Orodii Parthorum Regis maior natu filius. Cum quibus Romani contra auspicia pugnarunt, ac victi sunt. *Sub Num. 4.* Civilibus bellis Daci Antonio adhaeserunt, Aegyptiorum copiae navales Cleopatram sequebantur. *Sub Num. 5.* Violatio nuptialis foederis inquinavit familias, procreati homines imbelles, et a virtute Rom. degeneres. Hinc vitia grassata in populum, quae licentia etiam lege Iulia coërceri debuit. *Sub Num. 6.* Saltationes lascivae ab Ionibus Asiae minoris populis inventae. Ionum luxus in proverbium abiit. *Sub Num. 8.* Sabelli populi, sive Samnites a Sabinis orti inter optimos Italiae bellatores habiti, uti et Appuli. *Hi mores, quos describit Poëta, publicas calamitates populis consciscunt.*

LIBRI III. ODE 24.

*In vitia seculi, habendique cupiditatem invenitur,
et remedia praescribit.*

Intactis opulentior

Thesauris Arabum, et divitis Indiae,

Caementis licet occupes

Tyrrhenum omne tuis, et mare Apulicum

Si figit adamantinos

Summis verticibus dira necessitas

Clavos; non animum metu,

Non mortis laqueis expedies caput.
 Campestris melius Scythae
 Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
 Vivunt, et rigidi Getae,
 Immetata quibus iugera liberas
 Fruges, et Cererem ferunt,
 Nec cultura placet longior annua,
 Defunctumque laboribus
 Aequali recreat sorte vicarius.
 Illic matre carentibus
 Privignis mulier temperat innocens,
 Nec dotata regit virum
 Coniux, nec nitido fudit adultero.
 Dos est magna parentium
 Virtus, et metuens alterius viri
 Certo foedere castitas,
 Et peccare nefas, aut pretium est mori.
 O! quisquis volet impias
 Caedes, et rabiem tollere civicam;
 Si quaeret pater urbium
 Subscribi statuis, indomitam audeat
 Refraenare licentiam.
 Clarus postgenitis: quatenus (heu nefas!)
 Virtutem incolumem odimus,
 Sublatam ex oculis quaerimus invidi.
 Quid tristes quaerimoniae,
 Si non supplicio culpa reciditur?
 Quid leges, sine moribus
 Vanas, proficiunt, si neque fervidis
 Pars inclusa caloribus
 Mundi, nec Boreae finitimum latus,
 Durataeque solo nives
 Mercatorem abigunt? horrida callidi
 Vincunt aequora navitae?
 Magnum pauperies opprobrium iubet
 Quidvis, et facere. et pati,
 Virtutisque viam deserit arduas.
 Vel nos in Capitolium,
 Quo clamor vocat, et turba faventium,
 Vel nos in mare proximum

Gemmas, et lapides, aurum et inutile
Summi materiem mali

Mittamus, scelerum si bene poenitet.
Eradenda cupidinis

Pravi sunt elementa; et tenerae nimis
Mentes asperioribus

Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer,

Venarique timet; ludere doctior,
Ceu Graeco iubeas trocho,

Seu malis vetita legibus asea:
Cum periura patris fides

Consortem socium fallat, et hospitem,
Indignoque pecuniam

Haeredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae: tamen

Curtae, nescio quid, semper abest rei.

Adnot. Observa, quaeso, quam varie, quamque feliciter idem argumentum hic et alibi retractat, ut novum quid semper videatur. Nempe, exemplo confirmat Epist. suae ad Pisones praecceptum *versu* 128. et 240; ubi rerum communium, et notarum novam dispositionem, et scitam tractationem praestare ait: novarum rerum inventioni. Cuiusmodi studiosa observatio imitatione confirmata magnam rerum, verborumque copiam in mente parit. Quem in usum serviet etiam Libri II. ultimam, et Libri III. itidem ultimam Odas conferre; utriusque eundem scopum, eandemque sententiam varia dictione tantum distinctam invenies. *De hac materia mox inferius redibit sermo.*

LIBRI III, ODE 29.

AD MAECENATEM.

Invitat eum ad frugalem coenam, et opum contemptum laudat.

Tyrrhena Regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado,

Cum flore, Maecenas, rosarum, et
 Pressa tuis balanus capitis
 Iam dudum apud me est. Eripe et morae:
 Ne semper udum Tibur, et Esulae
 Declive contempleris arvum, et
 Telegoni iuga parricidae.
 Fastidiosam desere copiam, et
 Molein propinquam nubibus arduis:
 Omitte mirari beatæ
 Fumum, et opes, strepitumque Romæ
 Plerumque gratae divitibus vices,
 Mundaæque parvo sub lare pauperum
 Coenæ, sine aulaeis, et ostro,
 Solicitam explicuere frontem.
 Iam clarus occultum Andromede pater
 Ostendit ignem: iam Procyon furit.
 Et stella vesani Leonis,
 Sole dies referente siccos.
 Iam pastor umbras eum grege languido,
 Rivumque fessus quaerit, et horridi
 Dumeta Silvani: caretque
 Ripa vagis taciturna ventis.
 Tu, civitatem quis deceat status,
 Curas, et urbi sollicitus times,
 Quid Seres, et regnata Cyro
 Bactra parent, Tanaisque discors,
 Prudens futuri temporis exitum
 Caliginosa nocte premit Deus;
 Ridetque si mortalis ultra
 Fas trepidat, Quod adest, memento
 Componere æquus: cetera fluminis
 Ritu feruntur, nunc medio alveo
 Cum pace delabentis Etruscum
 In mare, nunc lapides adesos,
 Stirpesque raptas, et pecus, et domos
 Volventis una, non sine montium
 Clamore, vicinaeque silvæ,
 Cum fera diluvies quietos
 Irritat amnes. Ille potens sui
 Laetusque deget, cui licet in diem
Select. pro II. Hum.

Dixisse, vixi: cras vel atra
 Nube polum pater occupato,
 Vel Sole puto: non tamen irritum,
 Quodcunque retro est, efficiet; neque
 Diffinget, infectumque reddet,
 Quod fugiens semel hora vexit.
 Fortuna saevo laeta negotio, et
 Ludum insolentem ludere pertinax.
 Transmutat incertos honores,
 Nunc mihi, nunc alii benigna.
 Laudo manentem: si celeres quatit
 Pennas, resigno, quae dedit, et mea
 Virtute me involvo, probamque
 Pauperiem sine dote quaero.
 Non est meum, si mugiat Africis
 Malus procellis, ad miseram precem
 Decurrere, et votis pacisci,
 Ne Cypriae, Tyriaeque merces
 Addant avaro divitias mari.
 Tum me, biremis praesidio scaphae,
 Tutum per Aegeos tumultus
 Aura feret, geminusque Pollux.

Adnot. Inter eximias Horatii Odas haec debet
 censeri. seu versus. et Poësis; seu res, et materia
 spectetur. Dictio ejus grandis, et Stoicae Disciplinae
 gravis explicatio. Cetera Docentis eruditio au-
 ditoribus explicabit, seu quid Geographicum, vel
 Historicum, seu quid ex antiquitatis consuetudine
 occurret.

LIBRI IV. ODE 5.

AD AUGUSTUM.

*Tribus annis Roma Caesar abfuit in Gal-
 lias profectus. Cunctanti hanc Oden, scripsit, ut
 suum in urbem reditum acceleret. Vivis hic pin-
 git coloribus amorem Senatus, Populique erga
 Caes. Augustum.*

Divis orte bonis, optime! Romulae

Custos gentis, abes iam nimium diu:

Maturum reditum pollicitus Patrum

Sancto concilio, redi.

Lucem redde tuae, Dux bone! Patriaë

Instar veris enim vultus ubi tuus

Affulsit, populo gratior it dies,

Et soles melius nitent.

Ut mater invenem, quem Notus invido

Flatu Carpathii trans maris aequora

Cunctantem spatio longius annuo

Dulci distinet a domo;

Votis omnibus hunc, et precibus vocat,

Curvo nec faciem littore dimovet:

Sic desideriiis icta fidelibus

Quaerit patria Caesarem.

Tutus bos etenim rura perambulat:

Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas,

Pacatum volitant per mare navitae,

Culpari metuit fides.

Nullis polluitur casta domus stupris:

Mos, et lex maculosum edomuit nefas,

Laudantur simili prole puerperae,

Culpam poena premit comes.

Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?

Quis, Germania quos horrida parturit

Foetus, incolumi Caesare? quis ferae

Bellum curat Iberiae?

Condit quisque diem collibus in suis,

Et vitem viduas ducit ad arbores:

Hinc ad vina redit laetus, et alteris

Te mensis adhibet Deum.

Te multa prece, te prosequitur mero

Defuso pateris, et Laribus tuum

Miscet numen, uti Graecia Castoris,

Et magni memor Herculis.

Longas O utinam, Dux bone, ferias

Praestes Hesperiae! dicimus integro

Sicci mane die, dicimus uvidi,

Cum sol Oceano subest.

Adnot. Pauca notabimus: Nil comparatione illa sua-

vius: *Ut mater* etc. Dictum vere: *Quaerit Patria Caesarem*. Nam vota publica pro reditu suscepta, et numum fuisse cusum constat. Illud: *Mos et Lex*, etc. in republ. maxime necessarium. Nam, ut alibi Poëta: *Quid leges sine moribus vanae proficiunt? Nisi culpam poena premat comes?* quae coërcet peccandi libidinem. *Cetera interpreti relinquimus.*

LIBRI IV. ODE 7.

AD MANLIUM TORQUATUM.

Hoc Consule natum volunt Poëtam nostrum, qui hic scribit: Omnes res diffluere, et nil constans, et perpetuum esse.

Diffugere nives: redeunt iam gramina campis,
 Arboribusque comae.
 Mutat terra vices: et decrescentia ripas
 Flumina praetereunt.
 Gratia cum Nymphis, geminisque sororibus audet
 Ducere nuda choros.
 Immortalia ne speres, monet annus, et alnum
 Quae rapit hora diem.
 Frigora mitescunt Zephyris: ver proterit aestas
 Interitura, simul
 Pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
 Bruma recurrit iners.
 Damna tamen celeres reparant coelestia Lunae:
 Nos ubi decidimus.
 Quo pius Aeneas, quo dives Tullus, et Ancus,
 Pulvis, et umbra sumus.
 Quis scit: an adiciant hodiernae crastina summae
 Tempora Dii superi?
 Cuncta manus avidas fugient haeredis, amico
 Quae dederis animo.
 Cum semel occideris, et de te splendida Minos
 Fecerit arbitria:
 Non, Torquate! genus, non te facundia, non te
 Restituet pietas.
 Infernis neque enim tenebris Diana pudicum

Liberat Hyppolytum:

Nec Letaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

Adnot. Hoc quoque exemplum est, in quo argumentum prorsus simile Odae quartae *Lib. I.* dictiones pares, sed ingenii tamen Horatiani fecunditate in varietatem gratam hic convertuntur. Curandum: ne sine fructu discipulorum huc talia exempla delecta sint. *De quo non multo ante dictum.*

LIBRI IV. ODE 14.

AD AUGUSTUM.

*Non posse illi condignos honores tribui a Populo
propter tot, tantaque beneficia Patriae praestita.*

Quae cura Patrum, quaeve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,

Auguste, virtutes in aevum

Per titulos, memoresque fastus

Aeternet? O! qua sol habitabiles

Illustrat oras, Maxime Principum!

Quem legis expertes Latinae

Vindelici didicere nuper,

Quid Marte posses. Milite nam tuo

Drusus Germanos, implacidum genus,

Brennosque veloces, et arces

Alpibus impositas tremendis

Deiecit acer. Plus vice simplici

Maior Neronum mox grave praelium

Commisit, immanesque Rhaetos

Auspiciis pepulit secundis.

Spectandus in certamine Martio,

Devota morti pectora liberae

Quantis fatigaret ruinis:

Indomitas prope qualis undas

Exercet Auster, Pleiadum choro

Scindente nubes: impiger hostium

Vexare turmas, et frementem
 Mittere equum medios per ignes,
 Sic tauriformis volvitur Aulidus,
 Qui regna Dauni praefluit Appuli,
 Cum saevit, horrendamque cultis
 Diluviem meditatur agris.
 Ut Barbarorum Claudius agmina
 Ferrata vasto diruit impetu,
 Primosque, et extremos metendo
 Stravit humum sine clade victor.
 Te copias, te consilium, et tuos
 Praebente Divos. Nam, tibi quo die
 Portus Alexandria supplex,
 Et vacuum patefacit aulam,
 Fortuna lustris prospera tertio
 Belli secundos reddidit exitus.
 Laudemque, et optatum peractis
 Imperiis decus arrogavit.
 Te cantabor non ante domabilis,
 Medusque, et Indus, te profugus Scythes
 Miratur, O tutela praesens
 Italiae, dominaeque Romae!
 Te, fontium qui celat origines,
 Nilusque, et Ister, te rapidus Tygris,
 Te belluosus qui remoti
 Obstrepit Oceanus Britannis:
 Te non paventis funera Galliae
 Duraeque tellus audit Iberiae:
 Te caede gaudentes Sicambri
 Compositis venerantur armis.

Adnot. Odam huius libri *Quartam* in hunc Delectum non sunsimus, uti causa alio loco dicta est; Illi, ut elegantia dictionum, et sublimitate materiae, ita arte, et ingenio par est ista, cuius praeclarum et luminosum est ex abrupto exordium. Sicut ibi Drusi Neronis, Augusti privigni victoriam de Rhaetis, ac Vindelicis reportatam celebrat; ita hic Tiberii. Utrobique gloriam omnem in Augustum confert singulari prorsus artificio, et industria. Prior perelegans, et regali

mandato composita, stilum, et dictionem grandem habet, estque a capite ad calcem elaborata, cuius initium eo sublimius, quo perturbatius apparet. *Non ignoto loquor.*

LIBRI EPOD. ODE 2.

Alphius Foenerator vitae rusticae laudes decantans inducitur.

Beatus ille, qui procul negotiis,
 (Ut prisca gens mortalium)
 Paterna rura bobus exercet suis,
 Solutus omni foenore.
 Non excitatur classico miles truci,
 Necque horret iratum mare;
 Forumque vitat, et superba civium
 Potentiorum limina.
 Ergo aut adulta vitium propagine
 Altas maritat populos,
 Inutilesque falce ramos amputans,
 Feliciores inserit:
 Aut in reducta valle mugientium
 Prospectat errantes greges;
 Aut pressa puris mella condit amphoris;
 Aut tondet infirmas oves;
 Vel, cum decorum mitibus pomis caput
 Autumnus arvis extulit,
 Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
 Certantem et uvam purpurae,
 Qua muneretur te Priape! et te pater
 Silvane! tutor finium.
 Libet iacere modo sub antiqua ilice,
 Modo in tenaci gramine.
 Labuntur altis interim ripis aquae;
 Queruntur in silvis aves;
 Fontesque lymphis obstrebunt manantibus,
 Somnos quod invitet leves.
 At cum tonantis annus hibernus Iovis
 Imbres, nivesque comparat,
 Aut trudit acres hinc et hinc multa cane

Apros in obstantes plagas;
 Aut amite levi rara tendit retia,
 Turdis edacibus dolos:
 Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
 Iucunda captat praemia,
 Quia non malarum, quas amor curas habet,
 Haec inter obliviscitur?
 Quid si pudica mulier in partem iuвет
 Domum, atque dulces liberos,
 (Sabina qualis, aut perusta solibus
 Pernicis uxor Appuli)
 Sacrum vetustis exstruat lignis focum
 Lassi sub adventum viri:
 Claudensque textis cratibus laetum pecus,
 Distenta siccet ubera;
 Et horna dulci vina promens dolio,
 Dapes inemtis apparet:
 Non me Lucrina iuverint conchyliis,
 Magisque rhombus, aut sacri,
 Si quos Eois intonata fluctibus
 Hiems ad hoc vertat mare:
 Non Afra avis descendat in ventrem meum
 Non attagen Ionicus,
 Iucundior, quam lecta de pinguisimis
 Oliva ramis arborum,
 Aut herba lapathi prata amantis. et gravi
 Malvae salubres corpori,
 Vel agna festis caesa Terminalibus
 Vel haedus ereptus lupo.
 Has inter epulas. ut iuvat pastas oves
 Videre properantes domum!
 Videre fessos vomerem inversum boves
 Collo trahentes languido!
 Positosque vernaas, ditis examen domus,
 Circum renidentes lares!
 Haec ubi locutus foenerator Alphius,
 Iam iam futurus rusticus,
 Omnem redegit Idibus pecuniam,
 Quaerit Calendis ponere.

Adnot. Quod facit hic foenerator Alphius tam

ingenue, et concinne vitae rusticae laudes decantans, ut eam amplexurus videatur, sed mox tamen ad mores suos redit; id plerumque ab hominibus fieri constat, ut optima proposita deserant, et cum Medea apud Ovidium dicere cogantur: *video meliora proboque, deteriora sequor*. Hoc carmen Scaligeri testimonio est longe pulcherrimum, ad quod Horatius ex Virgilio Lib. II. Georg. sub finem, prout eo loco fecimus mentionem, ubi Georgicorum Delectus proponitur, lumina mutuatus est, *et quae fusa extulit Virgilius, iste contraxit, quaeve ille contracte protulit, iste dilatavit*. Praesentis quoque Ode felicissimus imitator est Iacob. Vallius e. S. I. qui in sua Paraphrasi circa eodem sensus cum Horatio certamen, aemulationemque pertentavit, et quasi ex eadem cera plures imagines non tamen eiusdem generis effinxit; cum certus esset, falsum esse illud, et naturae eloquentiae non conveniens: una de re bene dici; nisi semel non posse, simulque exemplis doceretur, in eadem materia post alios tam Virgilium, quam Horatium et plures e veteribus multa optime scripsisse. Pari felicitate idem Vallius versibus Heroicis expressit *Lib. I. Od. 14, 15. 37. Lib. II. Od. 16. Lib. III. Od. 5. Epod. Od. 7.*

Q. HOR. FLACCI EPISTOLAE

AD PISONES,

SIVE

DE ARTE POETICA LIBER.

Admirabilis hic ingenii Horatiani partus non a summis tantum, Principibusque viris sua aetate. sed a doctissimis quibusque omnium gentium ad nostra usque tempora maximi semper fuit habitus: non eo tantum, quod amoenioris sensus re-

rum copia redundaret. in cuius laudis communi-
onem alioquin cetera quoque eius scripta veni-
unt, sed quia praecepta non Poëtis modo,
verum quorumcunque operum auctoribus utilia,
imo perquam necessaria contineret; quae etiam
in vitae usu tam ad actiones convenienter ponen-
das, quam cogitationes recte instituendas, diri-
gendasque prodessent. Eam ob rem OI. Borich.
Consp. Auct. Ling. Lat. aptissime dixit: Quae de
arte Poëtica Horat. praecipit, iudicii. et pruden-
tiae plenissima sunt..

I. Praecipit: ut uniforme sit opus, et cohae-
reant universa et singula.

Humano capiti cervicem pictor equinam
lungere si velit, et verias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis amici?
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
Persimilem, cuius, velut aegri somnia, vanae
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formae. ~~Nes~~ pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scimus, et hanc veniam petimusque, damusque vi-
cissim:

Sed non ut placidis coëant immitia, non ut
Serpentes avibus geminantur, tygribus agni.

II. Vitandas digresiones ineptas, et locos com-
munes futiliter non pertractandos.

Inceptis gravibus plerumque et magna professis,
Purpureus late, qui splendeat unus, et alter
Assuitur pannus; cum iucus, et ara Dianae,
Et properantis aquae per amaenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus:
Sed nunc non erat his locus, et fortasse cupressum
Scis simulare; quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, aere dato, qui pingitur? amphora coepis
Institui; currente rota eur urceus exit?

Denique sit quodvis simplex duntaxat, et unum.
 Maxima pars vatum (pater, et iuvenes patre digni)
 Decipimur specie recti, brevis esse laboro,
 Obscurus flo: sectantem laevia nervi
 Deficiunt, animique; professus grandia, turger;
 Serpit humi tutus nimium, timidusque procellae.
 Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
 Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.
 In vitium ducit culpae fuga, si caret arte
 Aemilium circa ludum faber iunus, et ungues
 Exprimit, et molles imitabitur aere capillos.
 Infelix operis summa, quia ponere totum
 Nesciet: hunc ego me, si quid componere curam,
 Non magis esse velim, pravo vivere naso,
 Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

III. *Materia par viribus deligenda scriptori, primum ei praeceptum sit*

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
 Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
 Quid valeant humeri, cui lecta potenter erit res,
 Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

IV. *Poësis requirit artificiosum rerum ordinem et Dispositionem, ut in Virgilii L. I. II. III. etc:*

Ordinis haec virtus erit, et venus aut ego fallor,
 Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
 Pleraque differat, et praesens in tempus omittat.

V. *Verba licet nova facere, sed modus servandus,*

In verbis etiam tenuis, cautusque serendis
 Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
 Dixeris egregie, notum, si callida verbum
 Reddiderit iunctura novum. Si forte necesse est
 Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
 Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
 Continget, dabitur licentia sumpta prudenter,
 Et nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, si

Graeco fonte cadant, parce detorta: quid autem
 Caecilio, Plautoque dabit Romanus ademptum
 Virgilio, Varioque? ego cur acquirere pauca
 Si possum, invideor, cum lingua Catonis, et Ennii
 Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
 Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit
 Signatum praesente nota producere nomen.
 Ut silvae foliis pronos mutantur in annos
 Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,
 Et iuvenum ritu florent modo nata, vigentque.
 Debemur morti nos, nostraque; sive receptus
 Terra Neptunus classes aquilonibus arcet,
 Regis opus, sterilisque diu palus, aptaque remis
 Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum;
 Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
 Doctus iter melius; mortalia facta peribunt;
 Nedum sermonum stet honos, et gratia vivax.
 Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque,
 Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
 Quem penes arbitrium est, et ius, et norma lo-
 quendi.

VI. *Quae materia versu heroico scribenda?*

Res gestae Regumque, Ducumque, et tristia bella,
 Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.

VII. *Quae carmine Elegiaco?*

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
 Post etiam inclusa est voti sententia compos:
 Quis tamen exiguos elegos emisit auctor,
 Grammatici certant; et adhuc sub iudice lis est.

VIII. *Quae versibus Iambicis?*

Archilochum proprio rabies armavit iänbo,
 Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
 Alternis aptum sermonibus, et populares
 Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.

IX. *Quae versibus Lyricis?*

Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et iuvenum curas, et libera vina referre.

X. *Carminum varietas, et proprietates sciendae. et observandae.*

Descriptas servare vices, operumque colores
Cur ego si nequeo, ignoroque, Poëta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?

XI. *Res Comica non debet efferrī stilo Tragico, vel contra.*

Versibus exponi Tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae.
Singula quaeque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen et vocem Commoedia tollit,
Iratuque Chremes tumido delitigat ore;
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.
Telephus et Peleus, cum pauper, et exul, uterque
Proiicit ampullas, et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.

XII. *Poëmata sint disertā, et affectibus plena, ut delectent, et moveant.*

Non satis est pulchra esse poëmata; dulcia sunt,
Et quocunq; volent, animum auditoris agunt.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus; si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia laedent.
Telephe, vel Peleu, male si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo: tristia moestum
Vultum verba decent; iratum, plena minarum;
Ludentem lasciva, severum seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; iuvat, aut impellit ad iram,

Aut ad humum moerore gravi deducit, et angit;
 Post effect animi motus interprete lingua.
 Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
 Romani tollent equites, peditesque cachinnum.

XIII. *Convenientia, similitudo, constantia characterum observetur.*

Intererit multum, Davusne loquatur, an herus,
 Maturusne senex, an adhuc florente iuventa
 Fervidus; an matrona potens, an sedula nutrix;
 Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
 Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus; an Argis.
 Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge.
 Scriptor honoratum si forte reponis Achillem;
 Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
 Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis:
 Si Medea ferox, invictaque, flebilis Iuno,
 Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
 Si quid inexpertum scenae committis, et audes
 Personam formare novam, servetur ad inum,
 Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.

XIV. *Praeceptum de nota persona potius denuo exhibenda; quam nova formanda.*

Difficile est proprie communia dicere: tuque
 Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
 Quam si proferres ignota, indictaque primus.
 Publica materies privati iuris erit, si
 Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem;
 Nec verbum verbo curabis reddere fidus
 Interpres, nec desilies imitator in arctum,
 Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

XV. *Praeceptum de initio grandi vitando.*

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, et nobile bellum.
 Quid dignum tanto feret hic promissor hiatus?
 Parturient montes; nascetur ridiculus mus.
 Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:

*Dic mihi, Musa virum, captae post tempora Troiae,
Qui mores hominum multorum vidit, et urbes,
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamque, et cum Cyclope Charyb-
dim.*

XVI. *Longius remotae res, neque splendentes,
non sunt graviter tractandae, sed quae propositum
promoveant.*

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat, et in medias res,
Non secus, ac notas auditorem rapit, et quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit;
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet iunum.

XVII. *Praeceptum de moribus bene exprimendis
inculcat, maxime circa aetates hominum.*

Tu, quid ego, et populus mecum desideret, audi
Si plausoris eges aulaea manentis, et usque
Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat:
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores;
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.

Reddere qui voces iam scit puer, et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit, ac ponit temere, et mutatur in horas.

In herbis iuvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque, et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.

Conversis studiis, aetas, animusque virilis
Quaerit opes, et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.

Multa senem circumveniunt incommoda; vel
Quaerit, et iuventis miser abstinet, ac timet uti.

Nel quod res omnes timide, gelideque ministrat,
 Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
 Difficilis, querulus, laudator temporis acti
 Se puero, censor castigatque minorum.

Multa ferunt anni venientes commoda secum;
 Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
 Mandentur iuveni partes, pueroque viriles;
 Semper in adiunctis, aevoque morabimur aptis.

XVIII. *Res atroces non agantur in scena, sed narrentur.*

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
 Seguius irritant animos demissa per aurem,
 Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus, et quae
 Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
 Digna geri, promies in scenam, multa que tolles
 Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.
 Nec pueros coram populo Medea trucidet;
 Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
 Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
 Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

XIX. *Fabulae magnitudo iusta: sunt quinque actus
 Non interveniat Deus, nisi gravis res postulet, nec 4.
 Personae eodem tempore loquantur.*

Neve minor, neu sit quinto productior actu
 Fabula, quae posci vult, et spectata reponi:
 Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
 Inciderit: nec quarta loqui persona laboret.

XX. *Chori officium, quem instaurari exoptat
 Hedelinus Prax. theatr. L. III. C. 4.*

Actoris partes chorus officiumque virile
 Defendat; neu quid medius intercinat actus,
 Quod non proposito conducat, et haereat apte:
 Ille bonis faveatque, et concilietur amicis:
 Et regat iratos, et amet peccare timentes;
 Ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
 Iustitiam, legesque, et apertis otia portis;

Ille tegat commissa; Deosque precetur, et oret,
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

XXI. Instrumenta musica Chori concentum adiuvantia, quomodo a simplicitate ad luxum aucta.

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubaeque
Aemula, sed tenuis, simplexque foramine paucò
Adspirare, et adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi, castusque, verecundusque coibat.
Postquam coepit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus,
Accessit numerisque, modisque licentia maior.
Indoctus quid enim saperet, liberque laborum,
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscae notumque, et luxuriam addidit arti
Tibicen. traxitque vagus per pulpita vestem:
Sic etiam fidibus voces crevere severis,
Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps;
Utiliumque sagax rerum, et divina futuri,
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

XXII. Agit de Satyrico Graecorum Drammate in quo etiam Decorum Personarum observandum.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
Incolumi gravitate iocum tentavit, eo quod
Illecebris erat, et grata novitate mirandus
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo;
Ne, quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper, et ostro
Migret in obscuras humili sermone tabernas;
Aut, dum vitat humum, nubes. et inania captet
Effutire leves indigna Tragoedia versus;
Ut festis matrona moveri iussa diebus

Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
 Non ego inornata, et dominantia nomina solum,
 Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo;
 Nec sic enitar tragico differre colori,
 Ut nihil intersit, Davusne loquatur, et audax
 Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
 An custos, famulusque Dei Silenus alumni:

XXIII. *Quod iam alibi commendatum, in hoc quoque opere argumentum notum diligendum, simul et decorum servandum est.*

Ex noto fictum carmen sequar; ut sibi quivis
 Speret idem, sudet multum, frustra que laboret
 Ausus idem: tantum series, iuncturaque pollet;
 Tantum de medio sumtis accedit honoris.

Silvis deducti caveant, me iudice, Fauni,
 Ne, velut innati trivis, ac pene forenses.
 Aut nimium teneris invenentur versibus unquam,
 Aut immunda crepent ignominiosaque dicta:
 Offenduntur enim, quibus est equus, et pater, et
 res;
 Nec, si quid fricti ciceris probat, et nucis emtor.
 Aequis accipiunt animis, donantive corona.

XXIV. *Agit iterum de versibus Drammati propriis, ut iam de his v. 80.*

Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus,
 Pes citus; unde etiam trimetris accrescere iussit
 Nomen iambeis, cum senos redderet ictus;
 Primus ad extremum similis sibi: non ita pridem,
 Tardior ut paulo, graviorque veniret ad aures,
 Spondeos stabiles in iura paterna recepit
 Commodus, et patiens: non ut de sede secunda
 Cederet, aut quarta socialiter: hic et in Acci
 Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni.

In scenam missus magno cum pondere versus,
 Aut operae celeris nimium, cura que carentis,
 Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
 Non quivis videt immodulata poemata iudex;

Et data Romanis venia est indigna Poëtis.
Idcircone vager, scribamque licenter? ut omnes
Visuros peccata putem mea, tutus, et intra
Spem veniae cautus; vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At nostri proavi Plautinos et numeros, et
Laudavere sales; nimiam patienter utrumque,
Nec dicam stulte, mirati; si modo ego, et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque solum digitis callemus, et aure.

XXV. Origo Tragoediae Drammatum.

Ignotum Tragicae genus invenisse Camaenae
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quae canerent, agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personae, pallacque repertor honestae,
Aeschylus, et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnum loqui, nitique cothurno.
Successit vetus his Comoedia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.

Nil intentatum nostri liquere Poëtae;
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta;
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clarisve potentius armis,
Quam lingua, Latium, si non offenderet unum
Quemque Poëtarum limae labor, et mora. Vos O!
Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, et multa litura coërcuit, atque
Praeseptum decies non castigavit ad ungvem.

XXVI. Arguit eos, qui ingenium, non artem requirunt ad Poësim.

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, et excludit sanos Helicon Poëtas

Democritus; bona pars non unguēs ponere curat,
 Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
 Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
 Tonsori Licino commiserit. O ego laevus,
 Qui purgo bilem sub verni temporis horam!
 Non alius faceret meliora poemata; verum
 Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
 Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi:
 Munus, et officium, nil scribens ipse, docebo.
 Unde parentur opes; quid alat, formetque Poëtam;
 Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.

XXVII. *Recte scribendi principium est: Sapere.
 Librorum lectione paratur rerum copia; haec
 verborum copiam gignit.*

Scribendi recte, sapere est, et principium, et fons:
 Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae:
 Verbaque provisam rem non invita sequentur,
 Qui didicit, patriae quid debeat, et quid amicis,
 Quo sit amore parens, quo frater amandus, et ho-
 spes:

Quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae
 Partes in bellum missi ducis; ille profecto
 Reddere personae scit convenientia cuique.
 Respicere exemplar vitae, morumque iubebo.
 Doctum imitatore, et veras hinc ducere voces.
 Interdum speciosa locis, morataque recte
 Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte,
 Val'dius oblectat populum, meliusque moratur,
 Quam versus inopes rerum, nugaeque canorae.

XXVIII. *Iterum Graecos commendat, qui non
 quaestus causa sapienter scripserunt.*

Graius ingenium, Graius dedit ore rotundo
 Musa loqui, praeter laudem nullius avaris:
 Romani pueri longis rationibus assem
 Discunt in partes centum diducere. — Dicat

Filius Albinus, si de quincunce remota est
 Uncia quid superat? — poteras dixisse: triens. — Eum
 Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit? —
 Semis. — An haec animos aerugo, et cura peculi
 Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
 Posse linenda cedro, et laevi servanda cupresso?

XXIX. *Duæ Poëseos virtutes: Docendi, et Delectandi. Ut doceas utiliter, esto brevis; ut delectes, finge verisimiliter.*

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtae,
 Aut simul et incunda, et idonea dicere vitae.
 Quidquid praecipies, esto brevis; ut cito dicta
 Percipiant animi dociles, teneantque fideles:
 Omne supervacuum pleno de pectore manat.
 Ficta voluptatis causa, sint proxima veris.
 Nec, quodcumque volet, poscat sibi fabula credi:
 Ne pransae lamiae vivum puerum extrahat alvo.
 Centuriae seniorum agitant expertia frugis;
 Celsi praetereunt austera poemata Rhamnes.
 Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
 Lectorem delectando, pariterque monendo.
 Hic meret aera liber Sosis, hic et mare transit,
 Et longum noto scriptori prorogat aevum.
 Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus.
 Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus
 et mens,
 Poscentique gravem persaepe remittit acutum;
 Nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.
 Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
 Offendar maculis, quas aut incuria fudit.
 Aut humana parum cavit natura. — Quid ergo est?
 Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
 Quamvis est monitus, venia caret; et citharoedus
 Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
 Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
 Qui bis, terque bonum, cum risu miror, et idem
 Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus?
 Verum operi longo fas est obrepere somnum.

XXX. *Poësis est ut pictura. Nam et in Poësi quaedam raptim lecta placent, examinata displicent, sed haec Poësis haud accurata est; contra Poësis elegans, et elaborata, plus movet, saepius examinata. Hinc pictura est muta Poësis; Poësis vero est loquens pictura.*

Ut pictura poësis erit, quae, si propius stes.
Te capiet magis, et quaedam, si longius abstes,
Haec amat obscurum; volet haec sub luce videri,
Iudicis argutum quae non formidat acumen.
Haec placuit semel, haec decies repetita placebit.

XXXI. *Mediocritas in Poësi laudem non habet, nec locum.*

O! maior iuvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor; certis medium, et tolerabile rebus
Recte concedi. Consultus iuris, et actor
Causarum mediocris, abest virtute disert
Messalae, nec scit quantum Cascellius Aulus:
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse Poëtis
Non homines, non Di', non concessere columnae.
Ut gratas inter menses symphonia discors,
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle pa-
paver
Offendunt; poterat duci quia coena sine istis:
Sic animis natum, inventumque poëma iuvandis
Si paulum summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilae, discive, trochive quiescit,
Ne spissae risum tollant impune coronae.
Qui nescit, versus tamen audet fingere! — Quid ni
Liber, et ingenuus praesertim census equestrem
Summam numorum, vitioque remotus ab omni.
Tu nihil invita dicés, faciesve Minerva,
Id tibi iudicium est, ea mens: si quid tamen olim
Scripseris, in Meti' descendat iudicis aures,
Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum,

Membranis intus positis. Delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox missa reverti.

XXXII. *Poëseos excellentiam ostendit, et commendat.*

Silvestres homines sacer interpresque Deorum
Caedibus, et victu foedo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tygres, rabidosque leones:
Dictus et Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere quo vellet: fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, et nomen divinis vatibus, atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit; dictæ per carmina sortes,
Et vitæ monstrata via est; et gratia Regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae solers, et cantor Apollo.

XXXIII. *Utrum Poëta nascatur, an fiat?*

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est: ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit, video, ingenium, alterius sic
Altera poscit opem res, et coniurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, et alsit;
Abstiniit Venere, et vino. Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum.
Nunc satis est dixisse: ego mira poemata pango,
Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est,
Et, quod non didici, sane nescire fateri.

XXXIV. *Adhibendi scriptorum Censores, iique fideles, et sinceri.*

Ut praeco ad merces turbam qui cogit emendas,
 Assentatores iubet ad lucrum ire Poëta
 Dives agris, dives positus in foenore numis.
 Si vero est, unctum qui recte ponere possit,
 Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
 Litibus implicitum, mirabor, si sciet inter
 Noscere mendacem, verumque beatus amicum.
 Tu seu donaris, seu quid donare volēs cui,
 Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
 Laetitiae. Clamabit enim: pulchre! bene! recte!
 Pallescet super his; etiam stillabit amicis
 Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram,
 Ut qui conducti plorant in funere, dicunt,
 Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic
 Derisor vero plus laudatore movetur.

Reges dicuntur multis urgere culullis.
 Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
 An sit amicitia dignus: si carmina condes,
 Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
 Quintilio si quid recitares, corrige, sodes,
 Hoc, aiebat, et hoc: melius te posse negares,
 Bis terque expertum frustra, delere iubebat,
 Et male tornatos incudi reddere versus.
 Si defendere delictum, quam vertere, malles,
 Nullum ultra verbum, aut operam sumebat inanem,
 Quin sine rivali teque, et tua solus amares.
 Vir bonus, et prudens versus reprehendet inerteas,
 Culpabit duros, incomitis allinet atrum
 Transverso calamo signum, ambitiosa recidet
 Ornamenta, parum claris lucem dare coget;
 Arguet ambigue dictum, mutanda notabit;
 Fiet Aristarchus, non dicet; cur ego amicum
 Offendam in nugis? hae nugae seria ducent
 In mala derisum semel, exceptumque sinistre.

XXXV. *Mali Poëtae exhibet infortunatam conditionem, ut ab ea deterreat.*

Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget,
 Aut fanaticus error, et iracunda Diana,
 Vesanum teligisse timent, fugiuntque Poëtam,
 Qui sapiunt; agitant pueri, incautique sequuntur.
 Hic, dum sublimis versus ructatur, et errat,
 Si veluti merulis intentus decidit auceps
 In puteum, foveamque, licet, succurrite! longum
 Clamet, Io cives! non sit, qui tollere curet:
 Si quis curet opem ferre, et demittere funem
 Qui scis an prudens huc se deiecerit, atque
 Servari nolit? dicam, Siculique Poëtae
 Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
 Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
 Insiluit. Sit ius, liceatque perire Poëtis.
 Invitum qui servat idem facit occidenti.
 Nec semel hoc fecit; nec, si retractus erit, iam
 Fiet homo, et ponet famosae mortis amorem.
 Nec satis apparet, cur versus facitet: utrum
 Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
 Moverit incestus: certe furit, et velut ursus
 Obiectos caveae valuit si frangere clathros,
 Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus:
 Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo,
 Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Adnot. Epistola haec scripta est ad Pisones, patrem et filios, quorum familia Romae dudum nobilis, ac numerosa fuit, *Calpurnii* nominabantur a *Calpo* Numae Pompilii filio. Pater *L. Piso* Consul em egit cum *Bruto Libone* sub Augusto, cui gratus fuit, pluribusque in Republ. muneribus; perfunctus literas, et literatos impense amavit. Doctissimus *Ludovic. Desprez* eminentissima ista seu e Graecis fontibus, seu e proprii ingenii Horatiani, acrisque iudicii foecunditate, sagacitate, opibus hausta scribendi carminis praecepta, mallet *Epistolam ad Pisones* in formam *artis Poëticae* redactam,

quam *Artem* tantum *Poëticam* appellari, tum ob inspersum identidem Satyriacum salem, tum ob praeceptiones aut carptim, aut saltuatim datas. Sed de nomine quidquid sit: hos libellum totum *Deductui Auctorum Scholae Institutionum Poëticarum accommodato* inseruimus propter insignem eius utilitatem perspectam; facti etiam confirmationes iudicio *Reverendissimi*, ac in literarum elaborato gustu exercitatissimi *G. A. Szeredahelyi*, qui in Praefatione Voluminis VI. Chompreianae Collectionis Scriptorum ad suum votum de integro esse in illam Collectionem hunc libellum illatum ait, cupitque ibidem: ut amici Poëseos enucleatius eum interpretari satagant. Quod nostrum quoque flagrantissimum hic est desiderium.

Monitum. Sincerum hoc nostrum, et flagrans de enucleata huius operis interpretatione desiderium, non est de nihilo; imo quantum in ea esset, experientia constat. Qui haec monet, bona fide nominare se exempli gratia non dubitat; nam hac una via ad aliquem Romanae amoenitatis sensum, atque ad uberiores veterum Auctorum notitiam venit. Equidem si quis cum neget in hoc quidquam esse, non pugnabit, sed si quid est, hac se via eo contendisse, et quidem ex perfecte intellecto hoc Horatii libro, memoriaeque mandato ardentiores ad reliquorum Scriptorum cognitionem comparandam simul primum sibi additos affirmat, ita: ut non eum solum, qui memoriae, sed simul, qui ingenii conatus esset, iis impenderet. Absolvam paucis hoc monitum his utile, qui iam *natant sine cortice*, avidaeque cupiunt proficere in hoc studiorum genere, illis non inane, *quis custodis egent.* (*Lib. I. Sat. 4.*) Auctorum cum pulcherrima, tum perquam necessaria est scientia, in quibus ad venusti gustum, multasque ingenii opes inde referendas primum quidem omnia sine obscuritate intelligenda sunt, tum assiduitas ordinatae lectionis ducenda, plurima memoriter discenda, imitationeque exprimenda, prae-

clarissimæ sententiæ in ore habendæ, sæpe animo versandæ, mutandæque cum quadam Auctorum oemulatione ita, ut cum eadem fuerint, aliæ tamen videantur. Quæ si etiam postea, verbis selectissimis proferentur, tunc illud Latine prodeat, quod multi præstare non possint. Nam quod multi possunt, eximium non est. De Auctorum permagnis emolumentis alibi quoque memoratum. Sed hæc, horumque similia, institutori debent etiam *decies repetita placere*; cuius muneris præcipua, maximeque utilis pars est Auctorum non superficialia notitia, et eos recte interpretandi forma.

DELECTUS

E P. VIRG. MAR. AENEIDE.

DE USU et UTILITATIBUS AENEIDIS.

De usu, et utilitatibus huius Poëmatis proveciori iam studiis ac aetate iuventuti, cui Epopæiæ Natura, Dotes, Materia, Forma, singularumque eius partium vis, ac proprietas a Magistro traduntur, pauca hic explicare operæ pretium duximus.

Actionem Aeneidis complexus est Virgil, Libris XII. in quibus Rom. simul Urbis, et Augusti originem prodidit, ac plurium familiarum encomia cecinit; quod opus partim in Sicilia, partim in Campania perfecit dictione magnifica, moribus et caractere perso-

narum ad aetatem, sexum, nationem, fortunae diversitatem accommodato, Picturis Poëticis, Novitatis delectabilis, Verisimilitudinis possibilis, Mirabilitatis credibilis fictionibus, Digressionibus, et Episodiis, omnique necessario ornamentorum apparatu concinne instructum, et ubique singularum partium coniunctione sic nexum, ut propemodum ubique fidem legentibus exprimat. Ob tantamque perfectionem merito omnibus seculis fuit admirationi, nec, ut inquit Macrobius Satur. L. I. C. 24. illius laudibus crescere, nullius vituperatione minui potest.

Sed attingamus Divini huius operis alias quoque dotes, et aliquot tantum personarum, quarum actionibus Poëta documento esse voluit, exempla memoremus. Exhibet suam Aeneam, qui inter varia pericula consilio, et ratione omnes res adversas fortiter sustinet, superatque. Addit illi etiam Deos rerum gubernatores, quia vidit magnas quidem res geri ratione, et consilio, sed fatibus fortunantibus, moderantibusque. Fingit indignos casus, ubi contra, quam merebatur (uti Pallantis, vel Lausi) virtus, quidam pereunt. Nominat tales, qui secundis rebus audaciores facti, prout Nisus, et Euryalus occubuerunt. Cuiusmodi exemplis conditionem humani generis deplorat. Sunt, quibus idem accidit male meritis, quique fortuna abusi sunt, ut Tyrannus Mezentius; aut qui secundis rebus insolescunt in suam perniciem, ut Turnus spolio Pallantis. Qualia exempla

iuste accidisse notantur ad aliorum informationem. Etsi enim Poëta Epicus, uti ars eius est, non prosit docendo. Ex. gr. qualis esse debeat Imperator, paterfamilias, filius, miles, civis, etc. etc. Tamen Imperatorem, patremfamilias, filium, militem, etc. repraesentat magnanimum, temperantem, pium, diligentem, iracundum, et eius generis alia.

Nunc iam Aeneam examinemus, in cuius imagine Principem Optimum, et civem absolutissimum, unaque Imperatorem perfectissimum describit. Quae enim artes sunt, quas non attribuat Aeneae, in Republ. domi bene gerenda requisita? quarum rerum scientia non eum informatum repraesentat? quibus virtutibus viro Principi necessariis, sed quae privatum quoque debent, non sistit excellentem ad imitandum? Habent sane populorum Rectores, habent communitatum primipili, patres, filii, cives integerrimi, et patriae studiosi praeceptiones, quibus proficiant, et si res, tempusque postulet, mortem etiam subire pro focis, arisque non horreant. Legent hic exempla clementiae, iustitiae, liberalitatis, diligentiae, moderationis, in quae ceu in specula inspiciant, et sequantur. Videbunt, qui Deum rite, religioseque veneraturi sunt, et in eius nutu plene acquiescere volunt, quales eos esse oporteat, si falsorum numinum cultores, tam pios, ac religiosos fuisse legendo acceperint. Agnoscent, quid sibi cavendum sumant, qui sanctas, et illibatas amicitias conservare proposuerunt; quid me-

tuendum habeant, qui violarint fidem; quid agendum, dum auxilium in difficili aliquo temporis articulo postulatur. Denique hominis, coniugisque fidi, omnisque sapientiae, et prudentiae politicae officia, infinitis, non unius generis actionibus expressa invenient. Sed quando civiles virtutes in eo designare terminaremus?

Nec minus conspicuus Imperatoriis virtutibus effingitur; ut hoc Drances Latini Regis Orator Libro XI. Aeneid. agnoscit inquiens: Justitiaene prius mirer, belline laborum? nam scientia rei militaris praeditus, auctoritate insignis, in victoriis, rerumque secundo cursu moderatus exhibetur. Prudens, attentusque in auxiliis comparandis, circumspectus in avertendis periculis, cum opus est, in adeundis, propulsandisque animosus, laborum omnium, quos cum suis communes habet, tolerantissimus; animi semper praesentis, et erecti, ac mira quadam efficientia pollentis, Magnanimus in venia danda victis, fortis, et constans in superbis debellandis. Plenus consilii in quibusvis belli casibus. Ne multa: quidquid reliquarum virtutum Duci, interdum etiam Navarcho, aut militi necessarium est, sic plene in Heroë Aeneidis comprehenditur, ut absolutum exemplar haberi possit, ipsumque Poëma virtutum officina existimari queat.

Reliquas laudes operis, quae a multiplici doctrinarum, et eruditionis varietate

*peti possent, accumulare prolixè nolumus, quas aliòquin iam Seneca in paucissima verba contulit; dum salutare carmen Virgiliùm canere dixit: copiose vero edissertavit libro satis amplo Sebastianus Maccius. Et fuit hic campus patentissimus, in quo potuit eius exspatiari oratio. Nam præter innumeras Poë-
matis utilitates, quarum hucusque facta est mentio, poterant præbere argumentum scribendi fertilissimum tot insertæ convenienter fabulæ, Historiarum varietas, tot veterum sacri, profanique ritus, et consuetudines, tot ex antiqua Geographia Regnorum, Insularum, Populorum, Urbium, Marium, Sinuum, Portuum, Montium, etc. iucundissimæ descriptiones; quæ operis seriem in omni genere commendant, et Lectorem delectant, ac docent. Et quid mira opportunis locis prope omnium affectuum pertractatio? quæ non potest non commovere ubique animum. Quid insitarum rerum inventiones? sic sapienter excogitatae, et inter se connexæ, apteque devinctæ, ut quæcunque etiam ficta leguntur, sint proxima veris. Quod Horat. in præceptis Poëticis exigit.*

In elocutione, et stilo, cui ignotum sit? Virgiliùm unum fuisse, cuius eloquentia Aeneas, et tot, tantarumque rerum narratio cum ea, quam præfert, maiestate; gratia, ornatu vario in lucem, aspectumque hominum prodire potuit. Eloquentiam enim adeo in potestate habuit, ut eandem ad omnium rerum adiuncta noverit accommodare. Ideo

Macrobi. *L. V. C. 1.* Saturn. *scribit ista de eo: Virgilius omnium profectibus se prae- parabat, propterea stilum permiscebat. Nam eloquentia eius nunc integra, nunc brevis, nunc copiosa, nunc florida. Decem Rhetorum, qui Athenis floruerunt, stilos diversos hic unus permiscuit.*

Frequentiam sententiarum hic ne quae- siveris, raro enim ab Epicis adspergi solent Poëmati; imo hac raritate illi maiestatem, dignitatemque suo carmini conciliari existi- mant, cum alioquin non Heros tantum Epo- poeiae, sed aliae quoque personae in consor- tium advocatae e characteribus suis non mo- do graviter, apte ad mores, et cum dignita- te loquantur, sed agant etiam, ac instar exemplorum sint, et dictis, ac factis docu- menta dent ad vitam, actiones hominum in- formandas. Sed nobis non licet, ut Maccio, tam exuberanti esse oratione. Quare de ta- bula manum retrahemus pronunciato brevi- ter eo, quod ad finem disputationis huius re- liquimus. Quod Scaliger de Virgilio: Nihil omissum coelesti viro, nihil addendum, nisi ab ineptis, nihil mutandum, nisi ab imperi- tis; omnia signate, e natura, ex arte, ex e- ruditione sententiae, numeri, figura, simpli- citas, candor, ornatus, incomparabilia; atque, uno ut absolvam, Virgilio: Idem omnium aet- atum viri docti senserunt, Aeneidemque tum ad oblectationem, tum ad eloquentiam, omni- genamque eruditionem consequendam, imo ad prudentiam quoque, et mores formandos, at-

que ad multa alia vitae emolumenta procuranda comparatam esse iudicarunt. Ut merito habendus esset eius Heros: Imago Principis Politici, cuius civilem virtutem Homerus in Odissea; Imago Imperatoria; cuius virtutem bellicam in Iliade delineavit; Virgilius autem, velut uno fasce utramque in Aeneide comprehendit.

Monitum. Haec in se optima, et ad maximam utilitatem conducentia, ut iuvenibus prosint, et placeant, necessarium erit, clare iis explicando proponere. Cum enim commemoratae Aeneidis utilitates, quasi thesauri quidam in ipso Poëmate abditi statim apparere non possint intellectui nondum litterarum luce illustrato, qualis discipulorum est, tam ipsi Magistri curatius introspiciant, quam auditoribus plane, luculenterque demonstrent, et quasi oculis subiiciant; quo eorum mores, quae talium studiorum natura est, tempestive mansuefieri; ingenium vero politiori rerum gustui consuescere incipiant.

LIBER II.

Aeneas apud Didonem enarrat Troiae excidium. Quod Epopoeiae Episodium, seu secundaria Actio, cum primaria Actione, est apta, et quasi necessaria connexionione coniuncta. Quid primaria, et secundaria huius Poëmatis Actio, docet Liber Institutionum Poëticarum.

§. I.

Graeci decennali bello ad Troiam fere fracti, dolo capere urbem constituunt; fugam

simulant, circa Tenedum Insulam latent, in castris equo ligneo, in quo milites latebant, relicto.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant;
 Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
 Infandum, Regina, iubes renovare dolorem,
 Troianas ut opes, et lamentabile regnum
 Eruerint Danaï, quaeque ipse miserrima vidi,
 Et quorum pars magna fui. Qui talia fando,
 Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssæi
 Temperet a lachrymis? etiam nox humida coelo
 Præcipitat, svadentque cadentia sidera somnos.

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
 Et breviter Troiæ supremum audire laborem,
 Quauquam animas meminisse horret, luctuque re-
 fugit.

Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi
 Ductores Danaum tot iam labentibus annis,
 Instar montis equum Divina Palladis arte
 Aedificant, sectaque intexunt abiete costas
 Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.
 Huc delecta virum sortiti corpora furtim
 Includunt coeco lateri, penitusque cavernas
 Ingentes, uterumque armato milite complent.

Est in conspectu Tenedos, notissima fama
 Insula, dives opum, Priami dum regna manebant:
 Nunc tantum sinus, et statio malefida carinis:
 Huc se proVecti deserto in littore condunt.
 Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenæ.
 Ergo omnis longo solvit se Teuceria luctu,
 Pauduntur portæ: iuvat ire, et Dorica castra,
 Desertosque videre locos, littusque relictum.
 Hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles,
 Classibus hic locus: hic acies certare solebant.
 Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
 Et molem mirantur equi: primusque Thymoetes
 Duci intra muros hortatur, et arce locari;
 (Sive dolo, seu iam Troiæ sic fata ferebant.)
 At Capys, et quorum melior sententia menti,

Aut pelago Danaum insidias, suspèctaque dona
 Praecipitare iubent: subiectisque urere flammis;
 Aut terebrare cavas uteri, et tentare latebras.
 Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
 Laocoon ardens summa decurrit ab arce,
 Et procul: o miseri! quae tanta insania cives?
 Creditis auctos hostes, aut ulla putatis
 Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulysses?
 Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
 Aut haec in nostros fabricata est machina muros,
 Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
 Aut aliquis latet error: equo ne credite Teucri.
 Quidquid id est, timeo danaos, et dona ferentes.

Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
 In latus, inque feri curvam compagibus alvum
 Contorsit: stetit illa tremens, uteroque recusso
 Insonuere cavae, gemitumque dedere cavernae.
 Et, si fata Deum, si mens non laeva fuisset,
 Impulerat ferro Argolicas foedare latebras:
 Troiaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.

Adnot. Sicut interdum narrationes copia ex-
 plendescere, hoc est: partes singulae accuratius ex-
 hiberi debent; ita quandoque summa tantum rerum
 fastigia sequenda sunt in narrando, seu *Brevitati*
 studendum est. Aeneas narraturus Troiae excidium,
 non incipit ab adventu Graecorum, aut reliquo
 obsidionis apparatu, sed brevissime, et quam proxime
 ad rem: *Fracti bello, fatisque repulsi etc.* Ars Poëtam
 docet, et prudentia, uti etiam Oratorem, ubi rem
 tractat prolixius, ubi longa serie oneraret potius,
 quam ornaret narrationem. De hoc satis. Sed ut
 tanto evidentius appareat magna ars Poëtae in
 sequentibus paragraphis, hic attente examina
 brevem Laocoontis orationem, eiusque appositas
 rationes, quibus equum ligneum perdendum inbet,
 ac fere persvadet. Quanto interim pondere! quibus
 Oratorum auxiliis perorantem producet infidum
 Sinonem! quibus artis praesidiis po-

sterius utetur ad suum finem Poëta! ut Laocoontis sceleratum habeatur consilium, Troianique arbitrentur: nefas esse grande in Deos, equum perdere.

§. II.

Continuat Aeneas Didoni percensere Sinonis Graeci fraudes, et narrationem illius rebus, personis, locis, tempori, aliisque adiunctis congruam, qua persuadere nititur: ut Troiani machinam intra muros urbis inducant.

Ecce manus iuvenem interea post terga revinctum
 Pastores magno ad regem clamore trahebant
 Dardanidae: qui se ignotum venientibus, ultro,
 Hoc ipsum ut strueret, Troiamque aperiret Achivis,
 Obtulerat: fidens animi, atque in utrumque paratus;
 Seu versare dolos, seu certae occumbere morti.
 Undique visendi studio Troiana iuventus
 Circumfusa ruit, certantque illudere capto.
 Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
 Disce omnes.

Namque ut conspectu in medio turbatus inermis
 Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
 Heu! quae nunc tellus, inquit, quae me aequora
 possunt

Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat?
 Cui neque apud Danaos usquam locus: insuper ipsi
 Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt.
 Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis
 Impetus: hortamur fari, quo sanguine cretus,
 Quidve ferat, memoret; quae sit fiducia capto.
 Ille haec, deposita tandem formidine, fatur:

Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint quaecunque fa-
 tebor

Vers, inquit: neque me Agricola de gente negabo,
 Hoc primum: nec, si miserum fortuna Sinonem
 Finxit, vanum etiam, mendacemque improba finget.
 Fando aliquid, si forte tuas pervenit ad aures

Belidae nomen Palamedis, et inclyta fama
 Gloria, quem falsa sub proditione Pelasgi
 Insontem infando indicio quia bella vetabat.
 Demisere neci, nunc cassum lumine lugent:
 Illi me comitem, et consanguinitate propinquum
 Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
 Dum stabat regno incolumis, regnumque vigeat
 Consiliis, et nos aliquod nomenque decusque
 Gessimus: invidia postquam fallacis Ulyssei
 (Haud ignota loquor) superis concessit ab oris,
 Afflictus vitam in tenebris, luctuque trahebam,
 Et causam insontis mecum indignabar amici.
 Nec tacui demens: et me, sors siqua tulisset,
 Si patrios unquam remeassem victor ad Argos,
 Promisi ultorem, et verbis odia aspera movi.
 Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Ulysses
 Criminibus terrere novis, hinc spargere voces
 In vulgum ambiguas, et quaerere conscius arma.
 Nec requievit enim, donec Calchante Ministro —
 Sed quid ego haec autem necquicquam ingrata re-
 volvo?

Quidve moror? si omnes uno ordine habetis Achi-
 vos,

Idque audire sat est iam dudum: sumite poenas:
 Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.

Tum vero ardemus scitari, et quaerere causas
 Ignari scelerum tantorum, artisque Pelasgae.
 Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur:
 Saepe fugam Danai Troia cupiere relicta
 Moliri, et longo fessi discedere bello,
 (Fecissentque utinam!) saepe illos aspera ponti
 Interclusit hiems, et terruit auster euntes.
 Praecipue cum iam hic trabibus contextus acernis
 Staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.
 Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phoebi
 Mittimus: isque adytis haec tristia dicta reportat:

*Sanguine placastis ventos, et virgine caesa.
 Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras.
 Sanguine quaerendi reditus, anima que litandum*

Argolica. Vulgi quae vox ut venit ad aures,
 Obstupuere animi, gelidus per ima cucurrit
 Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.
 Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
 Protrahit in medios: quae sint ea numina Divum,
 Flagitat: et mihi iam multi crudele canebant
 Artificis scelus, et taciti ventura videbant.

Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
 Prodere voce sua quemquam, aut opponere morti.
 Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus
 Composito rumpit vocem, et me destinat arae.
 Assensere omnes: et quae sibi quisque timebat,
 Unius in miseri exitium conversa tulere.
 Jamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
 Et salsae fruges, et circum tempora vittae.
 Eripui, (fateor) leto me, et vincula rupi:
 Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
 Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.
 Nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi,
 Nec dulces natos, exoptatumque parentem:
 Quos illi fors ad poenas ob nostra reposcent
 Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
 Quod te, per superos, et conscia numina veri.
 Per, si qua est, quae restat adhuc mortalibus us-
 quam
 Intemerata fides, oro: miserere laborum
 Tantorum, miserere animi non digna ferentis.
 His lachrymis vitam damus, et miserescimus ultro.

Adnot. In hanc quoque, ut in sequentem operis partem mox aliquid adnotabimus, ubi fraudum suarum scenam artificiosam Sinon absolverit. Ceterum, quae hic, vel aliis locis occurrunt e fabulis antiquitatis ritibus, Historiis, etc. eorum obscuritatem sufferet Interpres sedulus discipulis.

§. III.

Fingit Poëta Aeneam Didoni explicare, quomodo Sinon vinculis solutus Troianos,

quorum erga se misericordiam concitavit, pertentat ad suum propositum dolis praecogitatis, vel ex tempore incidentibus pertrahere.

Ipse viro primus manicas, atque arcta levare
Vincla iubet Priamus; dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios,
Noster eris: mihi que haec edissere vera roganti.
Quo molem hanc immanis equi statuere? quis au-
ctor?

Quidve petunt? quae religio? aut quae machina
belli?

Dixerat. Ille dolis instructus, et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas.

Vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum.

Testor numen, ait: vos arae, ensesque nefandi.

Quos fugi; vittaeque Deum, quas hostia gessi:

Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura;

Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras.

Si qua tegunt: teneor patriae nec legibus ullis.

Tu modo promissis maneat, servataque serves.

Troia fidem: si vera feram, si magna rependam:

Omnia spes Danaum, et coepti fiducia belli

Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo

Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulysses,

Fatale adgressi sacrato avellere templo

Palladium, caesis summae custodibus arcis,

Corripuere sacram effigiem; manibusque cruentis

Virgineas ausi Divae contingere vittas:

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri

Spes Danaum, fractae vires, aversa Deae mens.

Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.

Vix positum castris simulacrum; arsere coruscae

Luminibus flammae arrectis, salsusque per artus

Sador nit, terque ipsa solo (mirabile dictu!)

Emicuit, parmamque ferens, hastamque trementem.

Extemplo tentanda fuga canit aequora Calchas:

Nec posse Argolicis excindi Pergama telis:

Omnia ni repetant Argis, numenque reducant,

Quod pelago, curvis secum advexere carinis:
 Et nunc quod patrias vento petiere Mycenae;
 Arma, Deosque parant comites, pelagoque remenso
 Improvisi aderunt; ita digerit omnia Calchas.
 Hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso
 Effigiem statuere, nefas quae triste piaret:
 Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
 Roboribus textis, coeloque educere iussit:
 Ne recipi portis, aut duci in moenia possit;
 Neū populum antiqua sub religione tueri.
 Nam si vestra manus, violasset dona Minervae;
 Tum magnum exitium (quod Di' prius omen in
 ipsum

Convertant) Priami imperio Phrygibusque futurum:
 Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem,
 Ultro Asiam magno Pelopaeia ad moenia bello
 Venturam, et nostros ~~et~~ fata manere nepotes.

a) *Adnot.* Non facile leges eminentius *Probabilis Narrationis* Poëticae exemplam; quam haec Sinonis est. Narrat primum quaedam, *ut vera, passim nota.* Sicut est: *Avectos hostes; Palamedem Ulyssis arte occisum; Palladium furto ablatum; tum addita verisimilia: Fabricatum equum honori Palladis; Graecos abitum saepe tentasse; oraculi responso victimam humanam Diis offerri debuisse; etc.* Digna profecto, si ulla alia, haec est narratio, ut tota ad leges Poëticas attente exigatur.

b) *Narrationis suavitas e motibus, atque affectibus* animorum, et ex *inopinato exitu* oriri consuevit. Nullibi haec virtus feliciter, frequentius, et magis varie expressa invenietur, quam hoc libro Virgil. in una *narratione Sinonis:* quanta in populo Troiano ad eius preces *Misericordia!* quanta equo in urbem recepto *Laetitia!* quanta *Trepidatio!* ne armati milites equi utero abscondantur. Et posterius, quantus *Horror* ad casum *Laocoontis* sequetur: Haec, et aliae *Affectuum variationes* per totum hunc librum plurimae commovent, occupant, ac simul *svavem, et delectabilem* reddunt Poëmatum narrationem.

§. IV.

Narrationem Sinonis, qua Troianorum animi capti sunt, credibiliorem facit casus Mirabilis Laocoontis, quem serpentes cum duobus filiis depascuntur; ideo equum in urbe statuunt, cuius reserato nocte utero Graeci erumpunt, consociatique suis Troiam invadunt.

Talibus insidiis, periurique arte Sinonis
Credita res: captique dolis, lachrymisque coacti:
Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae,
Hic aliud maius miseris, multoque tremendum
Obiicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte Sacerdos;
Soleannes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubaeque
Sanguineae exuperant uodas pars cetera pontum,
Pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo; iamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti sanguine, et igni,
Sibilla lambebant lingvis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exangves: illi agmine certo
Laocoonta petunt; et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus.
Post, ipsum auxilio subeuntem, ac tela ferentem
Corrumpunt, spirisque ligant ingentibus: et iam
Bis medium amplexi, bis collo squammae circum
Terga dati, superant capite, et cervicibus altis,
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas, atroque veneno:
Clamores simul horrendos ad sidera tollit.
Quales mugitus, fugit eum saucius aram

Taurus, et incertam excussit cervice securim.

At gemini lapsu delubra ad summa dracones

Effugiunt, saeveque petunt Tritonidis arcem.

Sub pedibusque Deae: clypeique sub orbe teguntur.

Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis

Insinuat pavor, et scelus expendisse merentem

Laocoonta ferunt; sacrum qui cuspide robur

Laeserit, et tergo sceleratam intors'erit hastam.

Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque Divae

Numina conclamant.

Dividimus muros, et moenia pandimus urbis.

Aceingunt omnes operi; pedibusque rotarum

Subiiciunt lapsus, et stupea vincula collo

Intendunt: scandit fatalis machina muros

Foeta armis: pueri circum innuptaeque puellae

Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.

Illam subit, mediaeque minans illabitur urbi.

O patria! O Divum domus Ilium, et inelyta bello

Moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae

Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.

Instamus tamen immemores, coecique furore,

Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris

Ora, Dei iussu non unquam credita Teucris.

Nos delubra Deum miseri, quibus ultimus esset

Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Vertitur interea coelum, et ruit Oceano nox,

Involvens umbra magna terramque, polumque,

Myrmidonumque dolos: fusi per moenia Teucris

Conticuere: sopor fessos complectitur artus

Adnot. Laocoon, Anchisae frater, iuxta alios Priami filius, Sacerdos Appolinis: nunc ad sacra in ipso littora in honore Neptuni perficienda sorte delectus est, cum Troiae certi non essent Neptuni Sacerdotes. Serpentes Laocoontem, et filiorum corpora depascentes, insigne exemplum sunt Hypotiposeos, incredibilemque elegantiam conciliant. Quae figura cum non minus Poëtici fori sit, quam Oratorii, propterea Poëtis, praesertim nostro familiaris

est, tantoque validior habetur, si cum brevibus affectibus interpungitur. *Prodigium* hac figura exhibitum necesse fuit fingere. Nempe, in re tanti momenti, e qua salus Troianorum pendebat, non fuit contenta Poëtae ars Sinoni probabilem narrationem attribuere, etiam *Prodigia* censuit addenda ad Troianos persuadendos, atque ad fidem augendam eorum, quae a Sinone dicebantur. Ita inferius Anchises in eversa Troia mori obstinatus, solis *Prodigiis*, quae obiciuntur, determinabitur, ut ex incensa urbe excedat. Sine sensu sit, quem Laocoonis casus iam *Horrore*, iam *Misericordia* non percellat. Tanta vi mentis ad suum finem excogitatus, tam facunda Oratione cultaque descriptus est, *De Cassandra*; Priami filia, haec sunt: Artem vaticinandi ab Apolline obtinuit, sed quod in mutuo amore vicem ei non redderet, efficit: ut nunquam vaticiniis eius fides sit habita. In praedam obtigit Agamemnoni eversa iam urbe; sub finem belli nupserat Choraëbo.

§. V.

Hector iam prius ab Achille occisus, ut Lib. I. v. 487, memoratur; per somnum Aeneam admonentem, ut se periculo eripiat, et Troiae Penates in custodiam suscipiat, quos ex templi adytis ad eum extulit, vel videbatur efferre, cum iisque imperium Troianum in illum transtulit, Somno excusso videt periculum, et a Panto uberius cognoscit.

Et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat
 A Tenedo, tacitae per amica silentia Lunae,
 Littora nota petens: flammam cum regia puppis
 Extulerat; fatisque Deum defensus iniquis,
 Inclusos utero Danaos, et pinea furtim
 Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras

Reddit equus, laetique cavo se robore promunt:
 Tisandrus, Sthenelusque, duces, et dirus Ulysses,
 Demissum lapsi per funem, Athamasque, Thoasque;
 Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
 Et Menelaus. et ipse doli fabricator Epeus,
 Invadunt urbem somno vinoque sepultam:
 Caedantur vigiles, portisque patentibus omnes
 Accipiunt socios, atque agmina conscia iungunt.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
 Incipit, et dono Divum gratissima serpit:

In somnis ecce ante oculos moestissimus Hector
 Visus adesse mihi, largosque effundere fletus:
 Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
 Pulvere, perque pedes traiectus lora tumentes
 (Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
 Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis
 Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes!
 Squalentem barbam! et concretos sanguine crines,
 Vulneraque illa gerens, quae circum plurima muros
 Accepit patrios: ultro flens ipse videbar
 Compellare virum, et moestas expromere voces;
 O lux Dardaniae! spes o fidissima Teucrum!
 Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
 Expectate venis? ut te post multa tuorum
 Funera, post varios hominumque, urbisque labores
 Defessi aspiciamus? quae causa indigna serenos
 Foedavit vultus? aut cur haec vulnera cerno?
 Ille nihil, nec me quaerentem vana moratur,
 Sed graviter gemitus imo de pectore ducens:

Heu! fuge, nate Dea, teque his (ait) eripe flammis.
 Hostis habet muros, ruit alto a culmine Troia:
 Sat patriae, Priamoque datum, si Pergama dextra
 Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
 Sacra, suosque tibi commendat Troia penates,
 Hoc cape fatorum comites: his moenia quaere,
 Magna pererrato statues quae denique ponto.
 Sic ait et manibus vittas, Vestamque potentem
 Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.

Diverso interea miscentur moenia luctu:
 Et magis, atque magis (quanquam secreta parentis

Anchisae Domus, arboribusque oblecta recessit)
 Claescent sonitus, armorumque ingruit horror.
 Excitior somno, et summi fastigia tecti
 Ascensu supero, atque arrectis auribus adsto.
 In segetem veluti cum flamma furentibus austris
 Incidit: aut rapidus montano flumine torrens
 Sternit agros, sternit sata laeta, boumque labores,
 Praecipitesque trahit silvas: stupet inscius alto
 Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
 Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt
 Insidiae: iam Deiphobi dedit ampla ruinam
 Vulcano superante, Domus: iam proximus ardet
 Ucalegon; Sigaea igni freta lata relucent.
 Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum.
 Arma amens capio, nec sat rationis in armis:
 Sed glomerare manum bello, et concurrere in arcem
 Cum sociis ardent animi: furor, iraque mentem
 Praecipitant, pulchrumque mori succurrit in armis.

Ecce autem telis Pantheus elapsus Achivum,
 Pantheus Otriades, arcis, Phoebique Sacerdos,
 Sacra manu, victosque Deos, parvumque nepotem
 Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit:
 Quo res summa loco, Pantheu? quam prendimus
 arcem?

Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
 Venit summa dies, et ineluctabile tempus
 Dardaniae: fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens
 Gloria Teucrorum: ferus omnia Iupiter Argos
 Transtulit: incensa Danai dominantur in urbe.
 Arduus armatos mediis in moenibus adstans
 Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet
 Insultans, portis alii bipatentibus adsunt,
 Millia quot magnis, nunquam venere Mycenis,
 Obsedere alii telis angusta viarum
 Oppositi: stat ferri acies mucrone corusco
 Stricta, parata neci: vix primi praelia tentant
 Portarum vigiles, et eoeco Marte resistunt.

a) Adnot. Hic in pictura equi lignei Poëta omittit
 omnes alias magnitudinis circumstantias exponere,
 sed unam segregat occultatis ceteris, in luce tamen

collocat *magnitudinem* machinae. Nimirum per sola verba: *Demissum lapsi per funem*, vivide magnitudo innuitur, ex qua non saltu desiliri poterat, sed fune demitti oportuit. Ita *imago immensi Polyphemi*. L. III. aliquot tantum delectis circumstantiis pingitur. Cuiusmodi quidem imago eo est iucundior quod eandem Lector divinatione, et ingenii acumine detegere sibi videatur.

b) Ubi legis circuitum loquendi per quos versiculos a verbis: *Tempus erat* etc. quo *canticinum* explicatur; scito circuitum hunc, seu paraphrasim a *Quintil. L. 8. C. ultimo* pro orationis ornatu recitari. Legis *Prosopopeiam Hectoris*, ea cum plurium affectuum consotio iuncta est. *Comparatio* autem, qua utitur Aeneas, dum quid in urbe incensa generatur, spectat, illa quidem est humilis, sed plurimum *energiae* continet. Denique *Panthei orationem* pro exemplo copiosae orationis proponit *Macrob. Saturn. L. 5. C. 1.* Dispicienti serio Pantheus dicitur cursu ad *limina* tendere, alii legunt *littora*. Sed Servius, et Donatus retinent *limina*; et hinc Aeneae virtutem exaggerari dicunt, in cuius domum et Hector, et Pantheus Sacra detulerint.

§. VI.

Aeneas correptis iam prius armis, nunc narratione Panthei Otrei filii commotus congregato suorum manipulo ad caedem Graecorum immemor Hectoris moniti provolat, stragemque edit.

Talibus Otriadae dictis, et numine Divum
In flammis, et in arma feror: quo tristis Erinny.
Quo fremitus vocat, et sublatus ad aethera clamor.
Addunt se socios Ripheus, et maximus annis
Iphitus, oblati per lunam, Hypanisque, Dymasque,

Et lateri adglomerant nostro: iuvenisque Choroebus
 Mygdonides; illis ad Troiam forte diebus
 Venerat, insano Cassandrae incensus amore;
 Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat:
 Infelix, qui non sponsae praecepta furentis
 Audierit.

Quos ubi confertos audere in praelia vidi,
 Incipio super his: Iuvenes! fortissima frustra
 Pectora, si vobis audentem extrema cupido est
 Certa sequi: quae sit rebus fortuna videtis.
 Excessere omnes adytis, arisque relictis
 Di' quibus imperium hoc steterat: succurritis urbi
 Incensae, moriamur, et in media arma ruamus.
 Una salus victis, nullam sperare salutem.
 Sic animis iuvenum furor additus. Inde lupi, ceu
 Raptores, atra in nebula quos improba ventris
 Exegit coecos rabies, catulique relictis
 Faucibus exspectant siccis: per tela, per hostes
 Vadimus haud dubiam in mortem, mediaeque te-
 nemus
 Urbis iter: nox atra cava circumvolat umbra.
 Quis cladem illius noctis, quis funera fando
 Explicet? aut possit lachrymis aequare labores?
 Urbs antiqua ruit multos dominata per annos:
 Plurima perque vias sternuntur inertia passim
 Corpora, perque domos, et religiosa Deorum
 Limina. Nec soli poenas dant sanguine Teucris
 Quondam etiam victis redit in praecordia virtus
 Victores cadunt Danaï: crudelis ubique
 Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.

Adnot. (Oblati per lunam) Probat Scaliger de
 emendatione temp. L. 5. captam esse Troiam cir-
 ca plenilunium, et finem veris. Quod etiam patet
 ex Petronii fragmento de expugnatione Troiae.
 Iam superius quoque dixit: *silentia lunae*; haec e-
 nim nocturni silentii praeses habebatur, ut Horat.
 in Lib. Epod. Est praeterea hic, quod advertas.
 In verbis quae Aeneas ad congregatum manipulum
 profert, incommodam vocum traiectionem putant

vulgo interpretes; tu absque traiectione sensum verborum rectum videbis, si iuvenum pectora ideo *frustra fortissima* dici intelligas, quia eorum audax fortitudo ad patriae salutem iam non esset utilis. Item, si dum Poëta ait *Succurritis urbi incensae*, sic accipias, quasi diceret: *Vultis succurrere urbi incensae potius*, etc. Nulla ergo traiectione verborum opus est, ad sensum eruendum,

§. VII.

Aeneae socii, caesorum Graecorum vestibus induti; plurimos hostium per urbem trucidant, et dum Cassandram Graecis tendunt eripere, fere suorum telis obruuntur non agniti. Tum ad Regiam Priami defendendam properant.

Primus se Danaum, magna comitante caterva,
 Androgeos offert nobis, socia agmina credens,
 Inscius; atque ultro verbis compellat amicus:
 Festinate viri; nam quæ tam sera moratur
 Segnities? alii rapiunt incensa, feruntque
 Pergama: vos celsis nunc primum a navibus itis?
 Dixit: et extemplo (neque enim responsa dabantur
 Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.
 Obstupuit: retroque pedem cum voce repressit.
 Improvisum asp'ris, veluti qui sentibus angvem
 Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
 Attollentem iras, et caerulea colla tumentem,
 Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
 Irruimus, densis et circumfundimur armis:
 Ignarosque loci passim, et formidine captos
 Sternimus: aspirat primo fortuna labori.
 Atque hic exultans successu, animisque Choroebus
 O socii! qua prima, inquit, fortuna salutis
 Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur,

Mutemus clypeos, Danaumque insignia nobis
Aptemus. Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi: Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clypei que insigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat ensem
Hoc Ripheus, hoc ipse Dymas, omnisque iuventus
Laeta facit: spoliis se quisque recentibus armat.

Vadimus immixti Danais, haud numine nostro,
Multaque per coecam congressi praelia noctem
Conserimus, multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naves, et littora cursu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.
Heu, nihil invitis fas quemquam fidere Divis!

Ecce trahebatur passis Priameia virgo
Crinibus a templo Cassandra, adytisque Minervae,

Ad coelum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas
Non tulit hanc speciem furiata mentem Choroebus,
Et se se medium iniecit moriturus in agmen.

Consequimur cuncti, et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes.
Armorum facie, et Graiarum errore iubarum.

Tum Danai gemitu, etque ereptae virginis ira,
Undique collecti invadunt: acerrimus Ajax,
Et gemini, Atridae Dolopumque exercitus omnis,
Adversi rupto, ceu quondam turbine venti
Confligunt. Zephyrusque, Notusque, et laetus Eois
Eurus equis: stridunt silvae, saevitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet aequora fundo.

Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fudimus insidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent: primi clypeos, mentitaque tela
Agnoscent, atque ora sono discordia signant.
Ilicet obruimur numero, primusque Choroebus
Penelei dextra Divae armipotenti ad aram
Procumbit: cadit, et Ripheus iustissimus unus,
Qui fuit in Teucris, et servantissimus aequi.
Di's aliter visum. Pereunt Hypanisque, Dymasque,

Confixi a sociis: uec te tua plurima Pantheu,
 Labentem pietas, nec Apollinis infula textit
 Iliaci cineres, et flamma extrema meorum!
 Testor, in occasu vestro nec tela, nec ullas
 Vitavisse vices Danaum: et si fata fuissent
 Ut caderem, meruisse manu. Divellimur inde,
 Iphitus, et Pelias mecum: quorum Iphitus aevo,
 Iam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulyssaei
 Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
 Hic vero ingentem pugnam, seu cetera nusquam
 Bella forent, nulli tota morentur in urbe:
 Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentes
 Cernimus, obsessumque acta testudine linen.
 Haerent parietibus scalae, postesque sub ipsos
 Nituntur gradibus: clypeosque ad tela sinistris
 Protecti obiciunt, prensant fastigia dextris.
 Dardanidae contra turres, ac tecta domorum
 Culmina convellunt: his se quando ultima cernunt,
 Extrema iam in morte parant defendere telis,
 Auratasque trabes, veterum decora alta parentum
 Devolvunt: alii strictis mucronibus imas
 Obsedere fores, has servant agmine denso.
 Instaurati animi, Regis succurrere tectis,
 Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
 Limen erat, coecaeque fores, et pervius usus
 Tectorum inter se Priami postesque relictis
 A tergo: infelix qua se dum regna manebant,
 Saepius Andromache ferre incommitata solebat
 Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
 Evado ad summi fastigia culminis, unde
 Tela manu miseri iactabant irrita Teucris.
 Turrim in praecipiti stantem, summisque sub astra
 Eductam tectis, unde omnis Troia videri,
 Et Danaum solitae naves, et Achaica castra:
 Aggressi ferro circum, qua summa labantes
 Iuncturae tabulata dabant, convellimus altis
 Sedibus, impulimusque. Et lapsa repente ruinam
 Cum sonitu trahit, et Danaum super agmina late
 Incidit: ast alii subeunt; nec saxa, nec ullum
 Telorum interea cessat genus.

Adnot. a) Choroebus hoc δ -pho audacem animum ostendit, quem Zenobius ignavum in eo fuisse prodidit. Erat Mygdonis Hecubae fratris filius; ideo Mygdonides nominatur, non a regione Mygdonia Patronomica enim nomina non Gentilia in *des* ait desinere Servius Grammaticus cum Donato Virgillii interpres praecipuus. Huic iuveni inconsulto Poëta attribuit eam sententiam: *Dolus, an virtus* etc. in eoque plane observare *Decorum* quis eum neget? de suo enim non satis cautum, honestumque universaliter ductum haud pronunciasset alias *Decori* ubique servantissimus Scriptor. Habes, etiam hoc δ -pho *Epiphonematis* exemplum, quod praeponit narrandis rebus: *Heu nihil invitis* etc. Nam interdum narrationi postponitur, ut Lib. I. est: *Tantae molis erat* etc. et Lib. III. *Auri sacra fames* etc. Interdum narrationi interseritur, prout eodem Lib. III. *Tantum aevi languina valet abalere vetustas*. Sumes quoque dispiciendam in Androgeo vivam, et aspectabilem *Timoris* expressionem.

b) Inter cetera, quam plurima paulo superioris Narrationis ornamenta, commendo attente examinandum illustre exemplum *Amplificationis ab adiunctis* Cassandrae a Graecis e templo raptatae; et considerandam Poëtae *Prudentiam*, qua, ut alibi, ita hic quoque remove conatur, per *Iliacorum cinerum obtestationem*, a suo Heroe suspicionem proditionis, quam eidem uti et Antennori aspergunt. Sicut eiusdem Tymoetes quoque insimulatur, qui primus suadet huius Libri δ . I. ut equus ligneus in urbem inducatur. Quod eodem loco ipse quoque Poëta innuere videtur. Sed Poëtae circumscriptio in eo etiam admiranda est, quod Aeneam singulari modestie et hic exornet, nec iactabunde, aut prolixè narrantem sua gesta in praelio cum Graecis per noctem commisso, sed breviter, et sine fastu testantem exhibet: *se meruisse, ut caderet*, propter plurimas Grae-

corum caedes: quas *manu* fecisset. Nec id praetermittimus dicere de *testudine bellica*; qua obsederunt Graeci limen Regiae Priami, eam bello Troiano inventam fuisse; cuius descriptio e Ritibus Romanis nota est, et legi potest apud Liv. L. 44. c. 9.

§. VIII.

Graeci vastant regiam Priami, quem ad aras confugientem Pyrrhus trucidat.

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine Pyrrhus

Exultat telis, et luce coruscus athena.
 Qualis ubi in lucem coluber, mala gramina pastus,
 Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat;
 Nunc positis novus exuviis, nitidusque iuventa
 Lubrica convolvit sublato pectore terga,
 Arduus ad solem, et lingvis micat ore trisulcis,
 Una ingens Periphas, et equorum agitator Achillis,
 Armiger Automedon: una omnis Styria pubes
 Succedant tecto, et flammam ad culmina iactant.
 Ipse inter primos, correpta dura bipenni
 Lumina perrumpit, postesque a cardine vellit
 Aeratos, iamque excisa trabe firma cavavit
 Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram,
 Apparet domus intus, et atria longa patescunt:
 Apparent Priami veterum penetralia Regum:
 Armatosque vident stantes in limine primo.

At domus interior gemitu, miseroque tumultu
 Miscetur: penitusque caevae plangoribus aedes
 Femineis ululant: ferit aurea sidera clamor.
 Tum pavidae tectis matres ingentibus errant,
 Amplexaeque tenent postes, atque oscula figunt.
 Instat vi patria Pyrrhus, nec claustra, neque ipsi
 Custodes sufferre valent; labat ariete crebro
 Ianua, et emoti procumbunt cardine postes.
 Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant
 Immissi Danaï, et late loca milite complent.
 Non sic, aggeribus ruptis cum spumeis amnis
 Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,

Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes
 Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
 Caede Neoptoleum, geminosque in limine Atridas:
 Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per
 aras

Sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignes.
 Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.
 Barbarico postes auro, spoliisque superbi
 Procubuere: tenent Danaï, qua deficit ignis.

Forsitan, et Priami fuerint quae fata, requiras.
 Urbis ubi captae casum, convulsaque vidit
 Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem
 Arma diu senior desveta trementibus aevo
 Circumdat nequicquam humeris, et inutile ferrum
 Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
 Aedibus in mediis, nudoque sub aetheris axe
 Ingens ara fuit, iuxtaque veterrima laurus
 Incumbens arae, atque umbra complexa Penates.
 Hic Hecuba, et natae ne quicquam altaria circum,
 Praecipites atra, ceu tempestate columbae
 Condensae, et Divum amplexae simulacra tenebant;
 Ipsum autem sumtis Priamum iuvenilibus armis
 Ut vidit: quae mens tam dira, miserrime coniux,
 Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit,
 Non tali auxilio, nec defensoribus istis
 Tempus eget: non, si ipse meus nunc afforet Hector
 Huc tandem concede: haec ara tuebitur omnes,
 Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit.

Ad se se, et sacra longaevum in sede locavit.
 Ecce autem, elapsus Pyrrhi de caede Polites,
 Unus natorum Priami, per tela, per hostes
 Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
 Saucius; illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
 Insequitur, iam, iamque manu tenet, et premit hasta;
 Ut tandem ante oculos evasit. et ora Parentum,
 Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.

Hic Priamus, quanquam in media iam morte te-
 netur,
 Non tamen abstinuit, nec voci, iraeque pepercit:
 At tibi pro scelere, exclamat; pro talibus ausis

Di' (si qua coelo pietas, quae talia curet)
 Persolvant grates dignas, et praemia reddant
 Debita: qui nati coram me cernere lethum
 Fecisti, et patrios foedasti funere vultus.
 At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
 Talis in hoste fuit Priamo; sed iura, fidemque
 Supplicis erubuit; corpusque exangue sepulchro
 Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.

Sic fatus senior, telumque inbelle sine ictu.
 Coniecit: rauco, quod protinus aere repulsum,
 Et summo clypei nequicquam umbone pependit.
 Cui Pyrrhus: referes ergo haec, et nuntius ibis
 Pelidae genitori: illi mae tristia facta.
 Degeneremque Neoptoleum narrare memento.
 Nunc morere. Haec dicens, altaria ad ipsa tremen-

tem

Traxit, et in multo lapsantem sanguine nati:
 Implicuitque comam laeva, dextraque coruscum
 Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
 Haec finis Priami fatorum: hic exitus illum
 Sorte tulit, Troiam incensam, et prolapsa videntem
 Pergama, tot quondam populis, terrisque superbum
 Reguatorem Asiae: iacet ingens littore truncus,
 Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus.

Adnot. Plena est elegantiss haec quoque narratio.
 plena vividis picturis, quaecunque eius partem
 spectes, et animus ad diversos affectus, uti res
 narrantur, etiam contrarios impellitur. Singula
 non enucleamus; quaedam tantum attingimus,
 ut *Venusti gustum* excitemus.

1-mo: Vide *Pyrrhum*, a rufo capillorum colore sic
 dictum, iuvenem, nuper ad reliquias belli accitum
 iuvenili ferocia exultantem; quam Poëta insigni,
 aptaque similitudine illustrat. Nonne Politem sau-
 cium, per Regiam Priami fugientem, ante paren-
 tum ora concidentem, morientemque, et Pyrrhum
 saeve instantem quasi oculis usurpas?

2-do: Quo animo es? dum cernis numerosam Priami

familiam, in separatis cubiculis quinquaginta filios cum uxoribus habitantes, et e regione in duodecim cubiculis habitantes duodecim generos cum eiusdem filiabus (*tot enim liberos habuit utriusque sexus e diversis uxoribus*) per Regiam concursare, lamentari, spatiosas aedes ululatu replere, tum ad aras confugere, grandaevos parentes caedem filii coram concidentis spectare, et in horum omnium praesentia patrem amore occisi filii, doloreque abreptum indigno modo trucidari, et cadaver ad littus Sigaeum, ubi tumulus Achillis fuit, trahi? *Plura in hoc §-pho ex genere pulchri inuenies, cuius si sensu nondum tangeris, per similitum accuratam considerationem promouere satage.*

§. IX.

Dum Aeneas Helenam, tot malorum Causam, parat occidere, Venus repente apparens monet eum, ut patrem, uxorem, filium periculo, in quo versarentur, eripiat, ostenditque Deos in Troia evertenda laborare.

At me tum primum saevus circumstitit horror:
Obstupui subiit cari genitoris imago.
Ut Raegem aequaevum crudeli vilnere vidi
Vitam exhalantem: subiit deserta Creusa,
Et direpta domus, et parvi casus Iuli.
Respicio, et, quae sit me circum copia, lustrō
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus aegra dedere.
Iamque adeo super unus eram, cum limina Vestae
Servantem, et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio: dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et poenas Danaum, et deserti coniugis iras

Permetuens Trojae, et patriae communis Erynnis,
 Abdiderat se se, atque aris invisā sedebat.
 Exarsere ignes animo: subit ira, cadentem
 Ulcisci patriam, sceleratas sumere poenas.
 Scilicet haec Sparta incolumis, patriasque Mycenae
 Aspiciet? partoque ibit Regina triumpho?
 Coniugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
 Iliadum turba, et Phrygiis comitata Ministris?
 Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
 Dardanum toties sudarit sanguine littus?
 Non ita: namque etsi nullum memorabile nomen
 Feminea in poena est, nec habet victoria laudem;
 Extinxisse nefas tamen, et sumsisse merentis
 Laudabor poenas; animumque explesse iuvabit
 Ultricis flammae, et cineres satiasse meorum.

Talia iactabam, et furiata mente ferebar:
 Cum mihi se, non ante oculis tam clara videndam
 Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit.
 Alma parens, confesse Deam; qualisque videri
 Coelicolis, et quanta solet, dextraque prehensum
 Continuit, roseoque haec insuper addidit ore:
 Nate! quis indomitas tantum dolor excitat iras?
 Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
 Non prius aspicias, ubi fessus aetate parentem
 Liqueris Anchisen? superet coniuxne Craeusa.
 Ascaniusque puer? quos omnes undique Graiae
 Circumerrant acies: et, in mea cura resistat,
 Iam flammae tulerint, inimicus et hauserit ensis.
 Non tibi Tyndaridis facies invisā Lacaenae.
 Culpatusve Paris, verum inclementia Divum
 Has evertit opes, sternitque a culmine Troiam.

Aspice: namque omnem, quae nunc obducta ruenti
 Mortales hebetat visus tibi, et humida circum
 Caligat nubem eripiam: tu nequa parentis
 Iussa time, neu praeceptis parere recusa.
 Hic ubi disiectas moles, avulsaque saxis
 Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum;
 Neptunus muros, magnoque emota tridenti
 Fundamenta quatit, totamque a sedibus urbem
 Eruit. Hic Iuno Scaeas saevissima portas

Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
Ferro accincta vocat.

Iam summas arces Tritonia, respice, Pallas
Insedit, nimbo effulgens, et Gorgone sacra,
Ipsè pater Danais animos, viresque secundas
Sufficit: ipse Deos in Dardana suscitât arma.
Eripe, nate, fugam, finemque impone labori,
Nusquam abero, te tutum patrio et limine sistam.
Dixerat, et spissis noctis se condidit umbris,
Apparent dirae facies, inimicaque Troiae
Numina magna Deum.

Monitum. In exordio huius §phi versus duos, et viginti, qui incipiunt: *Iamque adeo super unus eram,* etc. dicuntur Varius, et Tuca Poëtae sustulisse quibus post mortem Virgillii Augustus Caesar Aenidem, cui nondum auctor ultimam manum imposuerat, revidendam commisit. Ratio hos versus tollendi, et ab opere resecandi fuit, quod, quae de Helena in iis leguntur, contraria illis apparerent, quae Libro VI. a versu 511. Deiphobus Aeneae narrat. Sed *Nascimbanus* ait: poterat Helena in domo Deiphobi tunc mariti, eundem Graecis iugulandum spe placandi Menelai prodere; sed cum se tamen tanquam hostem peti animadvertit, poterat in Vestae templum, sacrarium domus raegiae per illud ipsum posticum ostium, quo Aeneas eundem in locum penetraverat, fuga evadere. Ita haec vir acutissimus conciliat; et superest etiam *Francisci Collensis* ea de re disputatio prolixa, Quare viri eruditi hic esse iudicant retinendos versus.

Adnot. Helenae Tindarei filiae in templo Vestae latentis pictura (*est enim ut Pictura Ibësis*) ex eo est genere, in qua una tantum, alterave rei circumstantia eminentior exhibetur, imago tamen rei luculentissima efformatur. Hic Helenae Virgilius (ut quandoque peritus pictor imagini) tantum reflexam lucem e flammis undique ardentis Troiae affundit, ingeniosus tamen lector illius metum a Graecis simul ac Troianis, ideoque susceptam in

templum fugam, occultationem, trepidationem sibi detegit, et quasi obtutui sistit. Nunc aspice in Aenea exurgentem *Affectum Irae*, ubi latentem in loco secreto causam excidii Troiani vidisset; ut mox exardescit, mala per illam illata secum dinumerans, ut fluctuat, ut iam ruiturus in caedem furit! nisi repente apparens Venus tam commotum affectum temperet, ab Helena excidii causam removeat, et Diis attribuat, quos ei videndos praebuit, ac eorum inclementiam, qua tunc in urbem saeviebant. Dum hoc spectaculum Venus indicat, oculisque subiicit a verbis: *Non tibi Tyndaridis* etc. usque ad verba: *in Dardana suscitatur arma*; utitur insigni amplificatione a causis, et effectis. Sicuti utitur sublimi stilo ibi praecipue, ubi Neptunum urbis fundamenta evertere ostendit. Quo quidem stili genere plerumque exequitur Poëta totum hunc Librum, et Sextum.

§. X.

Aeneas a suis desertus inter flammam, et hostes properat e monito Veneris ad uxorem, filium, patrem periculo subducendos; sed pater non aliter, quam conspectis prodigiis exportari se humeris filii ex urbe permisit, iam undique ignibus involuta.

Tum vero omne mihi visum considerare in ignes illum, et ex imo verti Neptunia. Troia.

Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
Cum ferro accisam, crebrisque bipennibus instant,
Eruere agricolae certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat:

Vulneribus donec paulatim evicta, supremum
Congemuit, traxitque iugis avulsa ruinam.

Descendo ac ducente Deo flammam inter, et hostes
Expeditior: dant tela locum, flammaeque recedunt.

Ast ubi iam patriae perventum ad limina sedis:
Antiquasque domos: genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,

Abnegat excisa vitam producere Troia,
Exiliumque pati. Vos o! quibus integer aevi
Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires?
Vos agitate fugam.

Me si coelicolae voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes: satis una, superque
Vidimus excidia, et captae superavimus urbi,
Sic, o! sic positum affati, discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam: miserebitur hostis,
Exuviasque petet: facilis iactura sepulchri est.
Iam pridem invisus Divis, et inutilis annos
Demoror, ex quo me Divum pater, atque hominum
Rex

Fulminis afflavit ventis, et contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lachrymis, coniuxque Creusa,
Ascaniusque omnisque domus: ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque, et sedibus haeret in iisdem
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium, aut quae iam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituraeque addere Troiae
Teque, tuosque iuvat: patet isti ianua leto.
Iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncet ad aras.
Hoc erat, alma parens, quo me per tela, per ignes
Eripis? ut mediis hostem penetralibus, utque
Ascaniumque, patremque meum, iuxta Creusam:
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais, sinite, instaurata revisam
Praelia, nunquam omnes hodie moriemur inulti.

Hic ferro accingor rursus: clypeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam,
Ecce autem complexa pedes in limine coniux
Haerebat, parvumque patri tendebat Iulum.
Si periturus abis, et non rape in omnia tecum,
Sin aliquam expertus sumtis spem ponis in armis

Hanc primum tutare domum: cui parvus Iulus;
 Cui pater, et coniux quondam tua dicta relinquitur;
 Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat:
 Cum subitum, dictuque oritur mirabile monstrum.
 Namque manus inter, moestorumque ora parentum,
 Ecce levis summo de vertice visus Iuli
 Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
 Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.
 Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
 Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignes.
 At pater Anchises oculos ad sidera laetus
 Extulit, et coelo palmas cum voce tetendit:
 Iupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
 Aspice nos, hoc tantum: et si pietate meremur,
 Da deinde auxilium pater atque haec omina firma.
 Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
 Intonuit laevum, et de coelo lapsa per umbras
 Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
 Illam, summa super labentem culmina tecti,
 Cernimus Idaea claram se condere silva,
 Signantemque vias: tum longo limite sulcus
 Dat lucem, et late circum loca sulfure fumant.
 Hic vero victus genitor se tollit ad auras:
 Affaturque Deos, et sanctum sidus adorat:
 Iam iam nulla mora est: sequor, et qua ducitis, adsum
 Di' patrii! servate domum, servate nepotem.
 Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Tro-
 ia est.

Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso,
 Dixerat ille, et iam per moenia clarior ignis
 Auditur, propiusque aestus incendia volvunt.
 Ergo age, chare pater, cervici, imponere nostrae:
 Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit.
 Quo res cumque cadent, unum et commune periculum,
 Una salus ambobus erit: mihi parvus Iulus
 Sit comes, et longe servet vestigia coniux.
 Vos famuli, quae dicam, animis advertite vestris.
 Est urbe egressis tumulus, templumque vetustum
 Desertae Cereris: iuxtaque antiqua cupressus,
 Religione patrum multos servata per annos,
 Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.

Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
 Me, bello e tanto digressum, et caede recenti,
 Attrectare nefas: donec me flumine vivo
 Abluero.

Haec fatus, latos humeros, subiectaque colla
 Veste super, fulvique insternor pelle leonis,
 Succedoque oneri: dextrae se parvus Iulus
 Implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis.
 Pone subit coniux Ferimur per opaca locorum:
 Et me, quem dudum non ulla iniecta movebant
 Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii;
 Nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis.
 Suspensum, et pariter comitique, onerique timentem.

Adnot. Quo loco invenies dici: *Ducente Deo*; intelligi Venerem; nam *Deus* communi genere aliquando apud veteres sumitur. Ut tam ex Graecis, quam Latinis patet. Sed haec non tanti sunt; nam etiamsi legas: *ducente Dea*, eundem sensum obtinebis. At discat tiro noster *amorem boni civis in patriam* ex Anchisae verbis, quae reddit Aeneae hortanti, ut e periculo urbis extremo excedat. Discat *fortis esse civis* ex verbis, et exemplo Aeneae, postquam patrem nervosae suae suasioni non dare locum videt. Ad quem persuadendum verisimiliumque narrationem de hoc exitu reddendam, prudenter Poëta indicavit, adhibenda esse *Prodigia*. Ad eum enim, qui penitus determinavit in urbe mori, quale momentum validius admoveri potuit, ut inde effugiat, quam Deorum voluntas prodigiis manifestata? Prosequitur suam in Deos, ac in patrem pietatem admirandam, et multorum scriptis celebratam, dum *Sacra Penates*, patrem humeris per medios ignes effert. Quam illustrem pietatem etiam Ovidius dilaudare volens cecinit: *Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam*. Non minus dignum imitatione exemplum paterni amoris in filium demonstrat idem Aeneas, dum inter tanta discrimina pueri Ascanii curam in mente ubique gerit, et solícite custodit. Et reipsa, ut alio loco *Virgil.* dicit: *Omnis in Ascanio cari stat cura parentis*. Sed crebrius

iam hoc libro occurrerunt diversi *amoris laudabilis exempla*, quae sensum moveant tironi nostro, eumque plane rapiant.

§. XI.

Amissa inter exeundum Creusa coniuge, revertitur, quaeritque inter medias flammam, et hostes in urbe, sed illa per umbram apparens, eum futura edocet, et se a Cybele detineri in Phrygia aperit. Itaque ad Idam montem redit, et cum collectis sociis parat mari discedere.

Iamque propinquebam portis, omnemque videbar
Evasisse viam; subito cum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus: genitorque per um-
bram

Prospiciens: nate, exclamat, fuge nate, propinquant:
Ardentes clypeos, atque aera micantia cerno.
Hic mihi, nescio quod, trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione viarum,
Heu! misero coniux, fatone erepta Creusa
Substiti, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum: nec post oculis est reddita nostris
Nec prius amissam respexi, animumque reflexi;
Quam tumulum antiquae Cereris, sedemque sacra-
tam

Venimus: hic demum collectis omnibus, una
Defuit, et comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incusavi amens, hominumque Deorum-
que?

Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates
Commendo sociis, et curva valle recondo.
Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis
Stat casus renovare omnes, omnemque reverti
Per Troiam, et rursus caput obiectare periculis.

Principio muros, obscuraque limina portae,
 Qua gressum extuleram, repeto: et vestigia retro
 Observata sequor per noctem, et lumine lustro.
 Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
 Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,
 Me refero: irruerant Danaï, et tectum omne tenebant.
 Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
 Volvitur, exsuperant flammae, furit aestus ad auras.
 Procedo ad Priami sedes, arcemque reviso.
 Et iam porticibus vacuis, Iunonis asylo,
 Custodes lecti Phoenix, et dirus Vlysses
 Praedam asservabant: huc undique Troia gaza
 Incensis erepta aditis, mensaeque Deorum,
 Crateresque auro solidi, captivaque vestis
 Congeritur: pueri, et pavidae longo ordine matres
 Stans circum.

Ausus quin etiam voces iactare per umbram,
 Implevi clamore vias, moestusque Creusam
 Nec quicquam ingeminans, iterumque iterumque vo-
 cavit.

Quaerenti, et tectis urbis sine fine furenti,
 Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Creusae.
 Visa mihi ante oculos, et nota maior imago.
 Obstupui, steteruntque comae, et vox faucibus haesit.

Tum sic affari, et curas his demere dictis:
 Quid tantum insano iuvat indulgere dolori,
 O dulcis coniux! non haec sine numine Divum
 Eveniunt; nec te comitem asportare Creusam
 Fas, haud ille sinit superi regnator Olympi.
 Longa tibi exilia, et vastum maris aequor arandum;
 Ad terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva
 Inter opima virum leni fluit agmine Tybris,
 Illic res laetae, regnumque, et regia coniux
 Parta tibi: lachrymas dilectae pelle Creusae.
 Non ego Myrmidonum sedes, Dolopumve superbas
 Aspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo:
 Dardanis, et Divae Veneris nurus:

Sed me magna Deum Genitrix his detinet oris.
 Iamque vale, et nati serva communis amorem.

Haec ubi dicta dedit, lachrymantem, et multa
 volentem
 Dicere, deseruit, tennesque recessit in auras.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
 Ter frustra comprehensa manus effugit imago,
 Par levibus ventis, volucrique simillima somno,
 Sic demum socios consumpta nocte reviso.
 Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum
 Invenio admirans numerum: matresque, virosque,
 Collectam exilio pubem, miserabile vulgus,
 Undique convenere, animis, opibusque parati,
 In quascumque velim pelago deducere terras.
 Iamque iugis summæ surgebat Lucifer Idae;
 Ducebatque diem: Danaïque obsessa tenebant
 Limina portarum: nec spes opis ulla dabatur:
 Cessi, et sublato montem genitore petivi.

a) *Adnot.* Sedulus venustarum rerum literaria-
 rum observator habet hic narrationem, quam examinet
Timoris effectibus diversis, ac alio loco expressi
 sunt, nitide, pulchreque ornatam. Dum animus
 Aeneas patrem ex ardente Troia exportat, quem ante
 nulla armorum sonitus terruerat, nunc suorum
 causa, perturbatur animo, horret pericula, imaginatione
 auget, circumspicit, et plus iusto attentus est,
 ad quemvis sonum trepidat, etc. Dispicienda singula
 a verbis illis §-phi prioris --- *Ferimur per opaca locorum*
 usque ad verba §-phi sequentis: *Confusam eripuit mentem.*
 Placebunt omnia. Non minus svavitatis percipietur
 ex affectu *Tristitiae*, et *Doloris* exhibito, ubi
 perditam uxorem mente perplexa, et confusa quaerit
 Aeneas a versu: *Quem non incusavi amens?* ad
 verba: *iterumque, iterumque vocavi.* Sed hic simul
 eximium coniugalis amoris exemplum Poëta proponit,
 etiam ubi iam umbra Creusae Aeneam alloquitur.
 In minimis quoque *Decorum* observare hic
 deprehenditur Virgilius. Nam rediens Aeneas in
 urbem ad quaerendam coniugem, sua in domo,
 quae iam flammis subiecta fuit, quaesivit; tum
 ad parentis eius Priami aedes, quae iam ever-
 sae a Graecis obsidebantur, accessit. Ubi enim
 potius eam bene, et pudice educatam alio quoque
 tempore quaeri debuisset Poëta iudicasset.

b) Qui Virgilium non obiter legerit, et praedictiones hic ab umbra Creusae de futuris in Hesperia sedibus Aeneae factas memoria tenuerit, mox sequenti Lib. III. legens verba Aeneae: *Incerti quo fata ferent, ubi sistere detur*, dubitans adhaerescere cogetur, cur haec ab Aenea dicantur. Imo continuata lectione navigationis in dubium multo maius incidet, fluctuabitque. In Delo enim iubentur Apollinis oraculo Troiani *antiquam matrem exquirere*, (Hesperiam nempe, seu Italiam, unde Dardanus pulsus in Phrygiam advenit, acceptaque in coniugem Teucris filia sedes fixit) quod responsum oraculi Anchises ad Cretam refert, ex qua Teucer ante Dardanum ad loca Troiae accessit, ibique sedes fixit. Hanc patris interpretationem vaticinio uxoris Aeneas in alteram partem non deflectit; quo igitur pacto accuratus poëmatici lector ex hac dubitatione se expediat? Cogitet videlicet, vel Aeneam praedictioni sibi factae fidem non adhibuisse; vel hoc vaticinium Creusae ex illis esse locis Aeneidos, quae Virgilius emendare hoc in opere non potuit morte praeventus; nec priora cum sequentibus componere, atque ad ultimam limam trahere.

Observatio in tres primos Libros Aeneidis.

Liber II. fuit pars prior narrationis Aeneaeae epud Didonem de eversa Troia: altera enim pars est: Recensio errorum coram Didone, quos terra, marique fere per septennium post eversionem Troiae Aeneas pertulit, atque haec Libro III. comprehenditur. Et nisi compendium sequi oportuisset, profecto animus erat nobis lectores novitios per haec omnia Aeneae itinera ducendi; quo illi in veteris Geographiae insignem notitiam venissent; quam in Scholis promovendam *Ratio Publicae Educationis Sect. III. Cap. I. §. 86. praecipit*. Indicasset maria, sinus, insulas; regiones, urbes, portus, montes cum accurata plagarum orbis designatione. Quae nempe maria Heros Troianus cum suis pertransiit;

quos sinus, insulas, urbes populos accessit, vel praetergressus est; vel sicubi considerare inceperit aut urbes fundare; quae loca, vel littora inspexit, quae fugienda sibi indicavit, unde monstris territus decedere properavit, vel ubi moras traxit, quae pericula declinavit, hic enim liber prae ceteris similium ingenii opum varietate se commendat. Qualis Geographica expositio ad reliquos etiam Scriptores Classicos recte intelligendos primum profuisset. Cum illi etiam plerumque aut in mari mediteraneo, cuius magnam partem Aeneas navigando emensus est, aut in regionibus, quae hoc mare circumdant, Romanaeque potestati suberant, res gestas, populos, urbes, ceteraque describant.

Explicuissemus varios veterum ritus sacros, profanosque, historias, fabulas antiquitatis, quibus affatim liber abundat, vel iis illustrari, explicarique aebet tironibus. Quod prestare nos non potuimus, id improbo cenatu studiosus sui profectus lector consequetur. Qui simul iam animadvertere potest ex argumentis horum duorum librorum, Poëtam in narrandis rebus per tres primos libros ordinem mutasse, quo se ab historico distingueret, cuius cum sit naturalem annorum seriem in opere sequere. Poëta e contrario praeceptum suae artis exequitur, quod monet, *ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici. Pleraque differat, et praesens in tempus omittat.* Nec in locum opportuniorem reicere potuit Virgilius utramque narrationis partem, quam dum Aeneam, ad Didonem venturum representavit. Cum enim eam, quam maxime credibilem facere debuerit, id non posse convenientius effici indicavit, quam si Aeneas illam percenseret, qui res gestas spectavit, pericula pertulit, et quorum pars magna fuit. Quis, quaeso, suspectam Poëta fidem nunc non haberet, si quae Aeneas narrat, ille scribendo perfecisset? modo ne incidit quidem lectori Aeneam de veritate interpellare, adeo attentum tenet.

In his ergo tribus libris si ordo temporis in *Actione* Aeneidis consideretur, secundus liber primum legendus esset, tum tertius, ac post hoc primus, quem iam septimo navigationis Aeneas anno Virgilius orditur scribere, dum eum e Sicilia in Italiam tendentem ventis ad littora Africae reiectum fuisse fingit. Tantum est de Virgilio, simulque hic *Partis Prioris Chresthomathiae Auctores Stili Poëtici completentis est.*

PARS POSTERIOR

AUCTORUM STILI ORATORII.

PARS POSTERIOR
 AUCTORUM STILI ORATORII.

O R A T I O

M. TULLII CICERONIS.

PRO
 A. LICINIO ARCHIA POETA.

Argumentum.

A. Licinius Archias magni nominis Poëta Graecus, Antiochiae natus, et eruditus, Romam venit Anno U. C. 648. et ab Heracleensibus civitate donatus in gratiam Luculli, cuius in domum receptus erat; Romanam etiam civitatem adeptus est lege Plautia Papiria Anno U. C. 661. Verum elapsis octo, et viginti annis Gratius quidam Archiae litem intendit de civitate, et lege, ut opinor, Papia Cicero Archiam hac oratione defendit, quae facilis est, mitioribusque figuris efflorescit. Altera vero confirmationis parte plane est eximia, deciesque ab eloquentiae studiosis cum legenda, tum imitatione reddenda. *Iac. Masen, in Pal Orat.*

S Y N O P S I S.

Quatuor partibus constat haec oratio: *Exordio, Narratione, Confirmatione, et Epilogo.*

In *Exordio* 1. sibi conciliat auditorum *benevolentiam*, gratum animum erga Archiam, quem principem habuit ad ingredienda stadia, testando:

2. *Adtentionem*, novo, quod adhuc in iudiciis tractatum non erat, de studiis humanitatis dicendi genere.

3. *Docilitatem*, causae scilicet propositione: Archiam esse iam civem; aut, si non esset, adsciendum esse.

4. *In Narratione* Archiae studia, et patriam eruditissimis hominibus affluentem; tum vero in Asia celebritatem, ac tandem in civitates Italiae complures, et Romam denique adscriptum ostendit.

Confirmationem bifariam partitur, uti iam propositione indicavit. I. Parte ostendere nititur Archiam esse civem Rom. his argumentis: quia fuit civis Heracleae; domicilium habuit Romae; apud Praetorem nomen suum professus est; plurium foederatarum urbium civis fuit; Romanorum civium iure usus est; cum et legibus romanis testamentum fecerit, hereditates adierit, et in beneficiis ad aerarium delatus sit.

Parte secunda *Confirmationis* exposita, Poëseos, qua Archias excellebat, praestantia, et utilitate, dignum esse declarat, ut: etiamsi non esset civis, adsumatur in civitatem. Tandem

In *Epilogo* collectis breviter, quae in Confirmatione adtulerat, argumentis, rogat iudices: ut ius civitatis Rom. Archiae conservent; quod se tanto certius impetraturum dicit, quanto magis humanissimis iudicibus orationem suam placuisse confidit.

O R A T I O.

I. Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio, quam sit exiguum; aut si exercitatio dicendi,

in qua me non inficior mediocriter esse versatum; aut, si huiusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis, ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel inprimis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem et ad suscipiendam, et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Quod si haec vox huius hortatu, praeceptisque conformata, nonnullis aliquando salutis fuit: a quo id accepimus, quo ceteris opitulari, et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem, et salutem ferre debemus.

Ac, ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, neque haec dicendo ratio, aut disciplina: ne nos quidem huic uni studio penitus unquam dediti sumus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur.

II. Sed ne cui vestrum mirum esse videatur, me in quaestione legitima, a) et in iudicio publico, cum res agatur apud Praetorem populi Rom. lectissimum virum, et apud severissimos iudices, tanto conventu hominum, ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat: quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, ad commodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam; ut me, pro summo Poëta, atque eruditissimo homine dicentem, hoc

a) De qua lex est, quae lege exercetur.

concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, a) hoc denique Praetore exercente iudicium, patiamini de studiis humanitatis, b) ac literarum paulo liberius, et in eiusmodi persona, quae, propter otium, ac studium, minime in iudiciis, periculisque tractata est, uti prope novo quodam, et iusitato genere dicendi. Quod si mihi a vobis tribui, concedique sentiam: perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium; verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum fuisse.

III. Nam, ut primum e pueris excessit Archias, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit: primum Antiochiae (nam ibi natus est, loco nobili, celebri quondam urbe et copiosa, atque eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluentibus) celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Post in ceteris Asiae partibus, cunctaque Graeciae, sic eius adventus celebrabatur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus, admiratioque superaret. Erat Italia tunc plena graecarum artium, ac disciplinarum: studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis, et hic Romae, propter tranquillitatem reipublicae non negligebantur. Itaque hunc et Tarentini, et Rhegini, et Neapolitani, civitate, ceterisque praemiis donarunt; et omnes, qui aliquid de ingenii poterant iudicare, cognitione, atque hospitio dignum existimarunt.

-
- a) (*Vestra humanitate*) Literarum illarum scientia, de quibus mihi sermo futurus est.
- b) (*De studiis humanitatis*) Quae ad humanitatem informant, et animos humanitate excolunt: talia sunt historica imprimis, et Poëtica.

Hac tanta celebritate famae cum esset iam absentibus notus, Romam venit, Mario consule, et Catulo, nactus est primum consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium, atque aures adhibere posset, Statim Luculli, cum praetextatus a) etiam tum Archiaa esset, eum in domum suam receperunt. Sed etiam hoc non solum ingenii, ac literarum, verum etiam naturae, atque virtutis erat, ut domus, quae huius adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti, Erat temporibus illis iucundus Q. Metella illi Numidico, et eius Pio filio; audiebatur a M. Aemilio; vivebat cum Q. Catulo, et patre, et filio; a L. Crasso colebatur; Lucullus vero, et Drusum, et Octavios, et Catonem, et totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine cum teneret, adficiebatur summo honore; quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere, atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant.

IV. Interim satis longo intervallo, cum esset cum L. Lucullo in Sicilia profectus, et cum ex ea provincia cum eodem Lucullo deederet, venit Heracleam. Quae cum esset civitas aequissimo iure, ac foedere, adscribi se in eam civitatem voluit; idque, cum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate, et gratia Luculli ab Heracleensibus impetravit. Data est civitas Silvani lege, et Carbonis: *Si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent; si tum, cum lex ferebatur. in Italia domicilium habuissent; et sexaginta diebus b) apud Praetorem essent professi.* Cum hic domicilium Romae

a) *Praetextatus*) apud Romanos is est: qui nondum egressus est septimum decimum annum, quo praetexta ponebatur.

b) *Sexaginta diebus*) Id est: intra sexaginta dies, Tot enim dati sunt, ut ii, qui longius abessent, satis scilicet haberent temporis, quo Romam venirent ad profitendum.

multos iam annos haberet, professus est apud Praetorem, Q. Metellum, familiarissimum suum.

Si nihil aliud, nisi de Civitate, ac lege dicimus, nihil dico amplius: causa dicta est. Quid enim horum informari, Grati, potest? Heracleaene esse tum adscriptum negabis? Adest vir summa auctoritate, et religione, et fide M. Lucullus. qui se non opinari, sed scire; non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heracleenses Legati nobilissimi homines: huius iudicii causa, cum mandatis, et cum publico testimonio venerunt; qui hunc adscriptum Heracleensem dicunt.

Hic tu tabulas desideras Heracleensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interiisse scimus omnes. Est ridiculum, ad ea, quae habemus, nihil dicere; quaerere, quae habere non possumus; et de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare; et, cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii iusiurandum, fidemque: ea, quae depravari nullo modo possunt, repudiare; tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare.

At domicilium in Italia non habuit is, qui tot annis ante civitatem datam, sedem omnium rerum, ac fortunarum suarum Romae collocavit? At non est professus? a) Imo vero iis tabulis Professus, quae solae ex illa professione, collegioque Praetorum, obtinent publicarum tabularum auctoritatem.

V. Nam cum Appii tabulae negligentius adservatae dicerentur, Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas, omnem tabu-

a) *Professus*) Profitetur, qui edit aliquid, et publice testatum esse vult, ut profiteri censum et merces apud Publicanos.

larum fidem resignasset a); Metellus, homo sanctissimus, modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum Praetorem, et ad iudices b) venerit, et unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis.

Quae cum ita sint, quid est, quod de eius civitate dubitetis, praesertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus? Etenim, cum mediocribus multis, et aut nulla, aut humili aliqua arte praeditis, gratuito civitatem in Graecia homines impertiebantur, Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic, summa ingenii praedito gloria, noluisse. Quid? cum ceteri, modo post civitatem datam, sed etiam post legem Papiam, c) aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepererint: hic, qui ne utitur quidem illis, in quibus est scriptus, quod semper se Heracleensem esse voluit, reiicietur.

Census nostros requiris scilicet. Est enim obscurum, proximis censoribus, hunc cum clarissimo Imperatore L. Lucullo apud exercitum d) fuisse: superioribus, cum eodem Quaestore fuisse in Asia: primis, Julio, et Crasso, nullam populi partem esse

a) *Resignasset*) Id est: omnem tabulis fidem abrogasset, resignasset autem, inquit, quia tabulae obsignabantur annulo Praetoris.

b) *Ad iudices*) Ut de litura, quam in suis tabulis deprehenderat, iudicarent.

c) *Post legem Papiam.*) latam a C. Papio, ne quis peregrinus pro cive se gereret.

d) *Apud exercitum*) est, qui vel negotii, vel rei militaris cognoscendae gratia, vel quovis potius, quam stipendii nomine illic versatur. Id exercitu vero, qui militat.

censam. Sed, quoniam census non ius civitatis confirmat, ac tantummodo iudicat eum, qui sit census, ita se iam tum gessisse pro cive, iis temporibus, quae tu criminaris, ne ipsius quidem iudicio eum in civium Romanorum iure esse versatum, a) et testamentum saepe fecit nostris legibus, et adiit hereditates civium Romanorum, et in beneficiis ad aerarium delatus est b) a L. Lucullo Praetore, et Consule.

VI. Quaere argumenta, si qua potes: nunquam enim hic neque suo, neque amicorum iudicio revincetur. Quaeres a nobis, Grati, cur tantopere hoc nomine delectemur. Quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant. An tu existimas, aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus, in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus: aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eandem relaxemus? Ego vero fateor, me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat, si qui ita se literis abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad communem adferre fructum, neque in adspectum, lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, iudices, ut ab nullius unquam me tempore c) aut com-

a) *Iis temporibus — quae versatum)* Graevio claritatis causa sic videtur scribendum: *Iis temporibus, quae tu criminaris, ne ipsius quidem iudicio in civium Romanorum iure esse versatum, et testamentum saepe fecit, etc.*

b) *In beneficiis ad aerarium delatus est.)* Deferri in beneficiis ad aerarium erat merus honor, et commendatio earum, quae utilem reip. operam navaverant, personarum apud populum Rom. profutura illis vel ad maiora ornamenta ab rep. consequenda, vel ad pericula, siqua exstitissent, sublevanda.

c) *Ab nullius unquam tempore)* videtur potius legendum: *ab illis nullo unquam tempore.*

modo, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si, quantum ceteris, ad suas res obcundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipsam requiem animi, et corporis conceditur temporum: quantum alii tribuunt tempestivis convivis: quantum denique aleae, quantum pilae; tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumsero? Atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque censetur oratio, et facultas; quae quantacunque est in me, nunquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior videtur: illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam, nisi multorum praeceptis, multisque literis mihi ab adolescentia svasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem: in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilii, parvi esse ducenda; nunquam me pro salute vestra in tot, ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas; quae iacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas, scriptores et Graeci, et Latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda republica proponens, animum, et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.

VII. Quaeret quispiam, quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditae sunt, istane doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile est hoc de omnibus confirmare. Sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo, ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos, et graves exstitisse fateor. Etiam illud ad-

iungo, saepius ad laudem, atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quaedam, conformatioque doctrinae: tum illud nescio, quid praeclarum, ac singulare solere existere. Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum: ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos homines, et continentissimos: ex hoc fortissimum virum, et illis temporibus doctissimum M. Catonem illum senem: qui profecto, si nihil ad percipiendam, colendamque virtutem literis adiuvaretur, nunquam se ad earum studium contulissent.

Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi remissionem humanissimam, ac liberalissimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum. Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium, ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quod si ipsi haec neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus.

VIII. Quis nostrum tam animo agresti, ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen, propter excellentem artem, ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus; nos animorum incredibiles motus, celeritatemque ingeniorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices (utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis,) quoties ego hunc vidi, cum literam scripsisset nul-

lam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? Quoties revocatum eandem rem dicere, commutatis verbis, atque sententiis? Quae vero accurate, cogitateque scripsisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Huuc non ego diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic a summis hominibus, eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia, et doctrina, et praeceptis, et arte constare: Poëtam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu inflari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos adpellat Poëtas, quod quasi Deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis esse videantur.

Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc Poëtae nomen, quod nulla unquam barbaries violavit. Saxa, et solitudines voci respondent; bestiae saepe immanes cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis non Poëtarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem dicunt esse suum: Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant, Itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt. Permulti alii praeterea pugnant inter se, atque contendunt.

IX. Ergo illi alienum, quia Poëta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc virum, qui et voluntate, et legibus noster est, repudiabimus? Praesertim cum omne olim studium, atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam, laudemque celebrandam? Nam et Cimbricas res adolescens adtigit, et ipsi illi C. Mario a) qui

a) *Ipsi illi C. Mario*) Qui non literis, sed bellis adsvetus Cimbro devicit.

durior ad haec studia videbatur, iucundus fuit. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse aiunt, cum ex eo quaereretur, *quod acroma, aut cuius vocem libentissime audiret: eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.* Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari.

Mithridaticum vero bellum magnum, atque difficile, et in multa varietate terra, marique versatum, totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi Romani nomen illustrent. Populus enim Romanus aperuit. Lucullo imperante, pontum, et regis quondam opibus, et ipsa natura regionis vallatum: populi Romani exercitus, eodem duce, non maxima manu, innumera-biles Armeniorum copias fudit: populi Romani laus est, urbem amicissimam Cyzicenorum, eiusdem consilio, ex omni impetu regio, ac totius belli ore, ac faucibus ereptam esse, atque servatam: nostra semper feretur, et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis: nostra sunt trophaea, nostra monumenta, nostri triumphus. Quare, quorum ingeniis haec feruntur, ab his populi Romani fama celebratur, Carus fuit Africano superiori noster Ennius. Itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore. At iis laudibus certe non solum ipsi, qui laudantur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. In eodem huius proavus Cato tollitur: magnus honos populi Romani rebus adiungitur, Omnes denique illi Maximi, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur.

X. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudium hominem, a) maiores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracleensem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate, eiicimus? Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat: propterea, quod Graeca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare si res hae, quas gessimus orbis terrae regionibus definiuntur: cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam, famamque penetrare: quod cum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt; tum iis certe, qui de vita, gloriae causa dimicant, hoc maximum et periculorum incitamentum est, et laborum.

Quam multos scriptores rerum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is tamen, cum in Sigaeo ad Achillis tumulum adstitisset: *O fortunate, inquit, adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!* Et vere; nam nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mytilenaeum scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit? et nostri illi fortes viri, sed rustici, ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore adprobaverunt?

Itaque, credo, si civis Romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo Imperatore civitate donaretur, perficere non potuit. Sylla, cum Hispanos, et Gallos donaret; credo, hunc petentem repudiasset? quem nos in concione vidimus, cum ei libellum ma-

a) Rudium hominem) Ennium, cuius patria Rudiae, oppidum Apuliae, foederata civitas, tempore Ennii.
Select. pro II. Hum. 15.

lus Poëta de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis, statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, iubere ei praemium tribui sub ea conditione: *ne quid post ea scriberet*. Qui sedulitatem mali Poëtae duxerit, aliquo tamen praemio dignam, huius ingenium, et virtutem in scribendo, et copiam non expetiisset? Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se, neque per Lucullos impetravisset? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis Poëtis, pingue quiddam sonantibus, atque peregrinum a) tamen aures suas dederet.

XI. neque enim est dissimulandum, quod obscurari non potest; sed prae nobis ferendum: trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi Philosophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem, nobilitatemque despiciunt, praedicari de se, ac nominari volunt. Decimus quidem Brutus summus ille vir, et Imperator, Atti, amicissimi sui, carminibus templorum, ac monumentorum aditus exornavit suorum. Iam vero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manibus Musis consecrare. Quare in qua urbe Imperatores prope armati, Poëtarum nomen, et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore, et a Poëtarum salute abhorrere.

Atque, ut id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo, et de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis con-

a) *Cordubaenatis Poëtis etc.*) horum vitium erat in eo, quod in sola novitate, ac inanium verborum consecratione, vim scriptionis, et elegantiam quaerent, parum admodum de natura imitatione solliciti. Vide *Muretum praefatione in Catulum*.

fitebor. Nam, quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute huius urbis, atque imperii, et pro vita civium, proque universa republica gessimus, attigit hic versibus, atque inchoavit: quibus auditis, quod mihi magna res, et incunda visa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum, periculorumque desiderat, praeter hanc laudis, et gloriae: qua quidem detracta, iudices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus?

Certe, si nihil animus praesentiret in posterum, et si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas; nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis, vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus quae noctes, et dies animum gloriae stimulis concitat, atque admonet, non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni postestitate adaequandam.

XII. An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica, atque in his vitae periculis, laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium, nullum tranquillum, atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura arbitremur? An, cum statuas, et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerint, consiliorum relinquere, ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniiis expressam, et politam? Ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me, ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec vero sive animeo sensu post mortem abfutura est, sive ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit: nunc quidem certe cogitatione quadam, speque delector.

Quare conservate, iudices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobari tum dignitate, tum etiam vetustate: ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum hominum ingeniis expetitur esse videatis; causa vero eiusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quae cum ita sint: petimus a vobis, iudices, si qua non modo humana, a) verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse: ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi Romani res gestas semper ornavit; qui etiam recentibus nostris, vestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudum daturum esse profitetur; quique est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti, atque dicti: sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius, quam acerbitate violatus esse videatur. Quae de causa pro mea consuetudine breviter, simpliciterque dixi, iudices, ea confido probata esse omnibus: quae non fori, neque iudiciali consuetudine, et de hominis ingenio, et communiter de ipsius studio locutus sum, ea, iudices, a vobis spero esse in bonam partem accepta; ab eo, qui iudicium exercet, certe scio.

a) *Non modo humana.*) Non modo ab hominibus, sed et a Diis profecta commendatio. Hominibus commendatus esse debet, qui hominum laudes commendat posteritati. *Divina*, quod divino adflantur spiritu Poëtae, unde etiam sancti habentur.


Monitum. Ex hac elegantissima, et aliis, quas vel praelegent, vel legendas suadebunt, Orationibus, meminert, Docentes excerptere, quae ad narrationes, Chrias oratorias, locos communes, magis graphicas descriptiones etc. pertinent: eaque postea, quam inventionem earumdem rationum, illustrationum, nexuum, argumentorum, et quidquid est, quod pulchri nomine venit, commonstraverint, ac ad regulas artis retulerint, imitatione exprimenda proponere, nec

non etiam memoriae, ut quod Quintilianus praecipit, habeant intra se, quod imitentur mandanda commendare:

Sic e. g. Nihil eo loco illustrius, qui Cap. VI. in hac ipsa oratione est, in quo Poëtarum lectio quantum sive ad reficiendum e forensi strepitu animum, sive ad eloquentiam alendam, sive ad praeclara gerenda incendendos viros conferat, declaratur.

Sic Capite VII. elegantissima *Chria oratoria* est *Protasi, Aetiologia*, seu *causa et conclusione* constans. Quod si non hic fructus etc. usque: tamen ea mirari deberemus, cum in aliis videremus.

Sic Cap. VIII. circa medium, altera est *Chria oratoria libera Aetiologiam, testimonium, et protasim* continens; Atqui sic a summis hominibus accepimus etc. usque ad Cap. IX. exclusive. Reliqua diligenti, oculato, et veri discipulorum profectus amanti patebunt Magistro.



O R A T I O
M A R C I T U L L I I C I C E R O N I S
P O S T R E D I T U M A B E X I L I O
A D Q U I R I T E S .

Argumentum.

M. T. Cicero Consul, Sergio Catilina, qui in patriam cum nobilissimis, et Magistratibus quoque ornatis coniuraverat, bello, quod Antonius Consul per Petreium Legatum suum gerebat, oppresso, sociisque eius in carcere sententia Senatus strangulatis magnam gloriam consecutus erat. Qua elatus, Principes civitatis negligentius observare, quin etiam asperius cavillari coepit, quo effectit, ut: quot coniurati propinquos, et familiares habebant, tot adversarios et invidos nancisceretur. Totius invidiae, qua demum Cicero flagrabat, fax erat Clodius, Patricia familia ortus, et admodum popularis adolescens. Is primo Ciceroni perfamiliaris erat, sed postea, cum de violatis religionibus reus ageretur, et Ciceronis testimonio lacesseretur, nihil minus tamen corruptis iudicibus absolveretur, inimicissimus ei redditus est; nec requievit, donec Grassum, Caesarem, Pompeium, et alios Principes viros a Cicerone alienaret, et sibi adiungeret. Quibus ita comparatis, fretus etiam multitudinis studio reum agit Ciceronem: quod cives Romanos indicta causa necavisset. Magna quidem civium copia a Cicerone stetit, ac prope viginti milia vestem mutarunt, Senatusque idem doloris testandi gratia faciendum censuit. Verum effectum est

nihil. Quare Clodii rogatione, ultra quadraginta millia, ab urbe iussus st exulare, anno aetatis suae 49. et A. U. C. 695. L. Calphurnio, Pisoni et A. Gabinio Coss. Nec hic stetit Clodii furor; sed praeterea domum, et vilas eius incendit: in aëra domus atrium libertati consecravit, omniaque eius bona publicavit. Hac quasi victoria de Cicerone, elatus Clodius, in Pompeium et reliquos optimates invehi coepit. Quo facto Ciceronis desiderium omnes occupavit. Itaque lex Clodia abrogata est, reditusque Ciceroni decimo mense post, quam expulsus erat, et omnium honorum restitutio decreta est, P. Cornelio Lentulo, et Q. Caecilio Metello Coss. Redux *Quiritibus*, seu populo gratias agit hac oratione Cicero. Quae tota plane illustris est, studiumque diligentissimum meretur, ut inquit: *Iac. Massenius in Pal. Orat.*

S Y N O P S I S.

Oratio haec tribus constat partibus: *Exordio*, cui *propositio*. et *partitio* iuncta est. *Confirmatione*, ac demum *Epilogo*, seu *Peroratione*.

In *Exordio* gaudere se dicit eo, quod se pro salute reipublicae devoverit, et eo quidem magis gaudere, quod sibi, ab exilio reduci, omnia, quibus spoliatus erat, multo iucundiora, quam ante fuerant, et illustriora accidant.

Exordio subiicit hanc *propositionem*: quia *singulari beneficio* revocavit populus Rom. Ciceronem ab exilio. Quam *propositionem* in haec duo argumenta, seu membra partitur: *Singulari beneficio* populus Ciceronem revocavit; quia et *calamitatem* ei detraxit, et *dignitatem* auxit.

In *Confirmatione* utrumque, quod in *partitione* fecit, membrum seu argumentum iunctim pertractat. Scilicet: Cicero incredibili Senatus, Principum, et populi consensu est revocatus; proinde populus Rom. non calamitatem tantum Ciceroni detraxit, verum etiam dignitatem auxit. Quod amplificat *comparatione* Populii Metelli, et Marii reditu, pro qui-

bus non tanto omnium ordinum consensu laboratum.

In *Peroratione* deinde pollicetur se tanti beneficii memoriam retenturum, et reipublicae nunquam ulla in re defuturum,

O R A T I O.

I. Quod precatus a Iove Optimo Maximo, ceterisque diis immortalibus, sum, Quirites! eo tempore, cum me, fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio, concordiaque devovi, ut, si meas rationes unquam vestrae salutis anteposuissem, sempiternam poenam sustinerem, mea voluntate susceptam. Sin et ea, quae ante gesseram, conservandae civitatis causa gessissem, et illam miseram profectionem vestrae salutis gratia suscepissem, ut: quod odium scelerati homines, et audaces in rempublicam, et in omnes bonos conceptum iam diu continerent, id in me uno potius, quam in optimo quoque; et in universa republica deficeret; hoc si animo in vos, liberosque vestros fuisset, ut aliquando vos, patres conscriptos, Italiamque universam, memoria mei, misericordia, desideriumque teneret: eius devotionis me esse convictum a) iudicio Deorum immortalium, testimonio Senatus, consensu Italiae, confessione inimicorum, beneficio divino, immortalique vestro, maxime laetor, Quirites! Etsi homini nihil est magis optandum, quam prospera, aequabilis, perpetuaque fortuna, secundo vitae, sine ulla offensione cursu: tamen, si mihi tranquilla, et placata omnia fuissent; incredibili quadam, et bene divina, qua nunc, vestro beneficio fruor, laetitiae voluptate caruissem.

a) *Eius devotionis me esse convictum.*) In devotione votum est: ut ii serventur, quorum causa se aliquis devovet. Ita videtur dicere: eius devotionis compotem esse factum; id est: quem illa devotione fructum petivi, tum tulisse me.

Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi? mihi vero et propter indulgentiam meam, et propter excellens eorum ingenium, vita sunt mea cariores: tamen non tanta voluptate erant suscepti, quanta nunc sunt restituti. Nihil cuiquam fuit unquam iucundius, quam mihi meus frater. Non tam id sentiebam, cum fruebar, quam tunc, cum carebam; et posteaquam vos me illi, et mihi eum reddidistis. Res familiaris sua quemque delectat: reliquae meae fortunae recuperatae plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumi afferebant. Amicitiae, consuetudines, vicinitates, clientelae, ludi denique, et dies festi, quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo.

Iam vero honos, dignitas, locus, ordo, beneficia vestra quamquam mihi semper clarissima visantur, tamen ea nunc renovata, illustriora videntur, quam si obscurata non essent. Ip^{sa} autem patria, Dii immortales! dici vix potest, quid caritatis, quid voluptatis habeat! quae species Italiae! quae celebritas oppidorum! quae forma regionum! qui agri? quae fruges! quae pulchritudo urbis! quae humanitas civium! quae reipublices dignitas! quae vestra maiestas! quibus ego omnibus antea rebus sic fruebar, ut nemo magis. Sed tanquam bona valetudo iucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam aegro corpore fuerunt: sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta, delectant.

II. Quorsum igitur haec disputo? quorsum? ut intelligere possitis, neminem unquam tanta eloquentia fuisse, neque tam divino, atque incredibili genere dicendi, qui vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quae in me, fratremque meum, et liberos nostros contulistis, non modo augere aut ornare oratione, sed enumerare, aut consequi possit. A parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus; a vobis natus sum consularis. Illi mihi fratrem, incognitum, qualis futurus esset, dederunt:

vos spectatum, et incredibili pietate cognitum reddidistis. Rempublicam illis accēpi temporibus a) eam, quae pene amissa est: a vobis eam recuperavi, quam aliquando omnes uuius opera servatam iudicaverunt. Dii immortales mihi liberos dederunt: vos redidistis. Multa praeterea a Diis immortalibus optata consecuti sumus. Nisi vestra voluntas fuisset, omnibus divinis muneribus caruissemus. Vestros denique honores, quos eramus gradatim singulos assecuti, nunc a vobis universos habemus: ut, quantum antea parentibus, quantum Diis immortalibus, quantum vobismet ipsis, tantum hoc tempore uni populo Romano debeamus. Nam, cum in ipso beneficio vestro tanta magnitudo est, ut eam complecti oratione non possim: tum in studiis vestris tanta animorum declarata est voluntas, ut non solum calamitatem mihi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videamini.

III. Non enim pro meo reditu, ut pro P. Popillii, nobilissimi hominis, adolescentes filii, et multi praeterea cognati, atque affines deprecati sunt: non, ut pro Q. Metello, clarissimo viro iam spectata aetate filius, non L. diadematus, consularis, summa auctoritate vir, non C. Metellus censorius, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat, non sororum filii Luculi, Servilii, Scipiones; permulti enim tum Metelli, aut Metellarum liberi pro Q. Metelli reditu vobis, ac patribus vestris supplicaverunt. Quodsi ipsius summa dignitas, maximaeque res gestae satis non valerent: tamen filii pietas, propinquorum preces, adolescentium squalor, maiorum natu lacrymae populum Romanum movere potuerunt.

a) *Illis accipi temporibus:*) Belli enim socialis initio, sumsit virilem togam: nec multo post secutum est Marianum civile bellum: et in utroque republica bello versata est in summo discrimine. Ideo, subiungit: *quae pene amissa est.*

Nam C. Marii, qui post illos veteres clarissimos viros consulares, vestra, patrumque memoria, tertius ante me consularis, subiit indignissimam fortunam praestantissima sua gloria, dissimilis fuit ratio. Non enim ille depraecatione rediit; sed in dissensu civium, exercitu se, armisque revocavit. Me autem nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, nullo armorum, ac tumultus metu, C. Pisoni, generi mei, divina quaedam, et inaudita pietas, atque virtus, fratrisque mei miserrimi, atque optimi quotidianae lacrymae, sordesque lugubres a vobis deprecatae sunt,

Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos inflecteret: qui suo fletu desiderium mei, memoriamque renovaret: qui statuerat, Quirites! si vos me sibi non reddidissetis, eandem subire fortunam: et tanto in me amore exstitit, ut negaret fas esse, non modo domicilio, sed ne sepulcro quidem se a me esse seiunctum. Pro me praesente Senatus, hominumque praeterea viginti millia, vestem mutaverunt; pro eodem absente unius squalorem, sordesque vidistis. Unus hic, qui domi, qui in foro posset esse, mihi pietate filius, inventus est, beneficio parens, amore idem, qui semper fuit, frater. Nam coniugis miserae squalor, et luctus, atque optimae filiae moeror assiduus, filiique parvi desiderium mei, lacrymaeque pueriles, aut itineribus necessariis, aut magnam partem tectis, ac tenebris continebantur,

IV. Quare hoc maius est vestrum in nos pro meritum. quod non multitudini propinquorum, sed nobismet ipsis nos reddidistis. Sed quemadmodum propinqui, quos ego parare non potui, mihi ad deprecandam calamitatem meam non affuerunt: sic, illud, quod mea virtus prestare debuit, adiutores, auctores, hortatoresque ad me restituendum ita multi fuerunt, ut longe superiores omnes hac dignitate, copiaque superarem. Nunquam de P. Popillio, clarissimo, atque fortissimo viro; nunquam de Q. Metello, nobilissimo, et constantissimo cive; nunquam

de C. Mario, custode civitatis, atque imperii vestri, in Senatu mentio facta est.

Tribunicis superiores illi rogationibus, nulla auctoritate Senatus sunt restituti. Marius vero non modo non a Senatu, sed etiam oppresso Senatu est restitutus: nec rerum gestarum memoria in reditu C. Marii, sed exercitus, atque arma valuerunt. At de me ut valeret, semper Senatus flagitavit: ut aliquando perficeretur; cum primum licuit, frequentia, atque auctoritate perfecit. Nullis in eorum reditu motus municipiorum, et coloniarum factus est. At me in patriam ter a) suis decretis Italia cuncta revocavit. Illi, inimicis interfectis, magna civium caede facta, reducti sunt. Ego iis, a quibus eiectus sum, provincias obtinentibus, inimico autem b) optimo viro, et mitissimo, altero Consule referente reductus sum: cum is inimicus, c) qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus praebuisset, spiritu duntaxat viveret, re quidem infra omnes mortuos amandatus esset.

a) *At me in patriam ter*) factum id paucos intra dies, ac primo quidem: cum S. C. factum est, ut literis consularibus cuncta ex Italia omnes, qui rempublicam salvam vellent, convocarentur: deinde, cum Pompeius in frequentissimo Senatu uni Ciceroni patriae servatae testimonium dedit, eiusque sententiam Senatus, uno dissentiente Clodio, secutus M. Tullium ab exilio revocavit; denique, cum decretum in Curia fuit, populi ipsius Romani, et eorum, qui ex municipiis convenerant, admonitu, ne quis de coelo servaret: ne moram ullam adferret, ac, si quis id fecisset, eum eversorem reipublicae fore.

b) *Inimico autem*) Q. Metello Consule, qui Tribunus p. Ciceronem abeuntem concionis habendae Potestate privaverat; sed postea auctoritate Senatus in gratiam cum eo rediit,

c) *Is Inimicus*) Attilius Gavianus Tribunus pl.

V. Nunquam de P. Pompillio L. Opimius, fortissimus Consul, nunquam de Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus, sed ne is quidem, qui secutus est, M. Antonius, homo eloquentissimus, cum A. Albino collega Senatum, aut populum est cohortatus. At pro me superiores Consules a) semper, ut referrent. efflagitati sunt: sed veriti sunt, ne gratiae causa b) facere viderentur, quod alter mihi affinis erat, c) alterius causam capitis receperam: qui provinciarum foedere irretiti, totum illum annum querelas Senatus, luctum honorum, Italiae gemitum per-tulerunt. Kalendis vero Ianuariis, posteaquam orba Respublica Consulis fidem, tanquam legitimi tutoris. imploravit. P. Lentulus Consul, parens, deus salutis nostrae, vitae, fortunae, memoriae, nominis, simul ac de solenni religione retulit, nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum iudicavit.

Atque eo die confecta res esset, nisi is Tribunus plebis, quem ego maximis beneficiis quaestorem Consul ornaveram, cum et cunctus ordo, et multi eum summi viri orarent, et Cn. Oppius socer, optimus vir, ad pedes eius flens iaceret, noctem sibi ad deliberandum postulasset: quae deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, sed ut patefactum est, in augenda mercede consumpta est. Postea res acta est in Senatu alia nulla; et cum variis rationibus impediretur, voluntate tamen perspecta Senatus, causa ad vos mense Ianuario deferebatur.

Hic tantum interfuit inter me, et inimicos meos. Ego, cum homines in tribunali Aurelio palam con-

a) *Superiores Consules*) Piso et Gabinius,

b) *Ne gratiae causa*) Ironia. Non enim id veriti sunt, sed pactione provinciarum irretiti, quae mei funeris merces fuit, nunquam referre voluerunt.

c) *Affinis erat*) Piso Consul, quia Ciceronis filia C. Pisonis uxor erat.

scribi, centuriarique vidissem: cum intelligerem, veteres, ad spem caedis, Catilinae copias esse revocatas; cum viderem, ex ea parte homines, cuius partis nos vel principes numerabamur, partim quod mihi inviderent, partim quod sibi timerent, aut proditores esse aut desertores salutis meae: cum duo Consules, cuncti pactione provinciarum, auctores se inimicis reipublicae tradidissent: cum egestatem, avaritiam, libidines suas viderent expleri non posse, nisi me constrictum domesticis hostibus dedissent; cum Senatus, Equitesque Romani flere pro me, ac, mutata veste, vobis supplicare edictis, atque imperiis vetarentur: cum omnium provinciarum pactiones, cum omnia cum omnibus foedera, reconciliationes gratiarum, sanguine meo sancirentur; cum omnes boni non recusarent, quin vel pro me, vel mecum perirent: armis decertare pro mea salute nolni, quod et vincere, et vinci luctuosum reipublicae fore putavi. At inimici mei, mense Ianuario, cum de me ageretur, corporibus civium trucidatis, flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt.

VI. Itaque cum ego abfui, eam rempublicam habuistis, ut aequae me atque illam, restituendam putaretis. Ego autem, in qua civitate nihil valeret Senatus, omnis esset impunitus, nulla iudicia, vis, et ferrum in foro versarentur; cum privati se parietum praesidio, non legum tuerentur: Tribunum plebis, vobis inspectantibus, vulnerarentur, ad Magistratum domos cum ferro, et facibus iretur, Consul fasces frangerentur, Deorum immortalium templa incenderentur: rempublicam esse nullam putavi. Itaque neque republica exterminata, mihi locum in hac urbe esse duxi: nec, si illa restitueretur, dubitavit, quin me secum ipsa reduceret.

An ego, cum mihi esset exploratissimum, P. Lentulum proximo anno Consulem futurum, qui illis ipsis reipublicae periculosissimis temporibus aedilis cu-

rulis, me Consule, omnium meorum consiliorum particeps, periculorumque socius fuisset: dubitarem, quin is me, confectum consularibus vulneribus, consulari medicina ad salutem reduceret? Hoc duce, collega autem eius, clementissimo, atque optimo viro, primo non adversante, post etiam adiuvante, reliqui Magisiratus pene omnes, fuerunt defensores salutis meae. Ex quibus excellenti animo, virtute, auctoritate, praesidio, copiis, T. Annius, et P. Sextius, praestanti in me benevolentia, et divino studio extiterunt. Eodemque P. Lentulo auctore, et pariter referente collega, frequentissimus Senatus, uno dissentiente, nullo intercedente, dignitatem meam, quibus potuit, verbis amplissimis ornavit: salutem vobis, municipiis, coloniisque omnibus commendavit.

Ita me nudum a propinguis, nulla cognatione munitum, Consules, Praetores, Tribunipletis. Senatus. Italia, cuncta, semper a vobis deprecata est: denique omnes, qui vestris maximis beneficiis honoribusque sunt ornati, producti ad vos ab eodem, non solum ad me conservandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testes, laudatores fuerunt.

VII. Quorum princeps ad cohortandos vos, et ad rogandos fuit Cn. Pompeius, vir omnium, qui sunt, fuerunt, erant, virtute, sapientia ac gloria princeps: qui mihi unus uni privato amico eadem omnia dedit, quae universae reipublicae, salutem, otium, dignitatem. Cuius oratio fuit, quemadmodum accepi, tripartita. Primum vos docuit, meis consiliis rempublicam esse servatam, causamque, meam cum communi salute coniunxit; hortatusque est, ut auctoritatem Senatus, statum civitatis, fortunas civis bene meriti defenderetis: tum in perorando posuit, vos rogari a Senatu, rogari ab equitibus Romanis, rogari ab Italia cuncta: denique ipse ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit.

Huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum hominem homini debere vix fas est. Huius consilia, P. Lentuli sententiam, Senatus auctoritatem vos secuti, in eo me lego, in quo vestris beneficiis fueram iisdem centuriis, quibus collocaratis, reposuistis. Eodem tempore audistis eodem ex loco summos viros, ornatissimos, atque amplissimos homines, principes civitatis, omnes consulares, omnes praetorios, eadem dicere, ut omnium testimonio per me unum rempublicam conservatam esse constaret. Itaque cum P. Servilius, gravissimus vir, et ornatissimus civis dixisset, opera mea rempublicam incolumem Magistratibus deinceps traditam, dixerunt in eandem sententiam ceteri, Sed audistis eo tempore clarissimi viri non solum auctoritatem, sed etiam testimonium L. Gellii, qui, quia suam classem attentatam magno cum suo periculo pene sensit, dixit in concione vestra: *Si ego Consul, cum fui, non fuisset, rempublicam funditus interituram fuisse.*

VIII. En ego tot testimoniis, Quirites, hac auctoritate Senatus, tanta consensione Italiae, tanto studio honorum, omnium, agente P. Lentulo, consentientibus ceteris Magistratibus, deprecante Cn. Pompeio omnibus hominibus faventibus, Diis denique immortalibus, frugum ubertate, copia, vilitate, redditum meum comprobantibus, mihi, meis, reipublicae restitutus, tantum vobis, quantum facere possum, Quirites! pollicebor: primum, qua sanctissimi homines pietate erga Deos immortales esse solent, eadem me erga populum Romanum semper fore: numenque vestrum aequae mihi grave, et sanctum, ac Deorum immortalium, in omni vita futurum: deinde, quoniam me in civitatem respublica ipsa reduxit, nullo me loco reipublicae defuturum.

Quod si quis existimat, me aut voluntate esse mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. Mihi, quod potuit vis, et iniuria, et sceleratorum hominum furor derahere, eripuit, abstulit, dissipavit: quod viro

forti adimi non potest, id manet, et permanebit. Vidi ego fortissimum virum, municipem meum, C. Marium, quoniam nobis, quasi aliqua fatali necessitate, non solum cum his, qui haec delere voluissent, sed etiam cum fortuna belligerandum fuit: cum tamen vidi, cum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato, atque renovato. Quem egomet dicere audivi, tum se fuisse miserum, cum careret patria, quam obsidione liberavisset; cum sua bona possideri ab inimicis, ac diripi audiret; cum adolescentem filium videret eiusdem socium calamitatis: cum in paludibus demersus, concursu, ac misericordia Mintarnensium corpus, ac vitam suam conservasset; cum parva navicula traiectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops, supplexque venisset: recuperata vero sua dignitate se non commissurum, ut, cum ea quae amiserat, sibi restituta essent, virtutem animi non haberet, quam nunquam perdidisset. Sed hoc inter me, atque illum interest: quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipsa re inimicos suos ultus est, armis; ego, qua consuevi, utar: quoniam illi arti in bello, ac seditione locus est, huic in pace, atque otio. Quanquam ille animo irato nihil nisi de inimicis ulciscendis agebat: ego de ipsis inimicis tantum, quantum mihi Respublica permittet, cogitabo.

IX. Denique, Quirites! quoniam me quatuor omnino genera hominum violarunt: unum eorum, qui odio Reipublicae, quod eam ipsis invitis conservarem, mihi inimicissimi fuerunt; alterum, qui per simulationem amicitiae, nefarie prodiderunt; tertium, qui cum propter inertiam suam eadem assequi non possent, inviderunt laudi, et dignitati meae; quartum, qui, cum custodes Reipublicae esse deberent, salutem meam, statum civitatis, dignitatem eius imperii, quod erat penes ipsos, vendiderunt: sic ulciscar genera singula, quemadmodum a quibusque sum provocatus: malos cives, Rempu-

blicam bene gerendo: perfidos amicos, nihil credendo, atque omnia cavendo: invidos, virtuti, et gloriae serviendo: mercatores provinciarum, revocando domum, atque ab iis provinciarum rationem repetendo.

Quanquam mihi maiori curae est; quemadmodum quidem vobis, qui de me estis optime meriti, gratiam referam, quam, quemadmodum inimicorum iniurias, crudelitatemque persequar. Etenim ulciscendae iniuriae facilior ratio est, quam beneficii remunerandi, propterea, quod superiorem esse contra improbos, minus est negotii, quam bonis exaequari: tum etiam ne tam necessarium quidem est, male meritis, quam optime meritis referre; quod debeas. Odium vel precibus mitigari potest, vel temporibus reipublicae, communique utilitate deponi, vel difficultate ulciscendi teneri, vel vetustate sedari. Bene meritos quin colas, nec exorari fas est, nec id reipublicae repetere utcunque necesse est, neque est excusatio difficultatis, neque aequum est, tempore, et die memoriam beneficii definire. Postremo, qui in ulciscendo remissior fuit, mox aperte laudatur: at gravissime vituperatur, qui in tantis beneficiis, quanta vos in me contulistis, remunerandis est tardior: neque solum ingratus, quod ipsum grave est, verum etiam impius appelletur, necesse est. (Atque in officio persolvendo dissimilis est ratio, pecuniae debitae: propterea quod pecuniam qui retinet, non dissolvit; qui reddidit, non habet: gratiam et qui retulit, habet; et qui habet, dissolvit.

X. Quapropter memoriam vestri beneficii colam benevolentia sempiterna, non solum dum anima spirabo mea, sed etiam cum mortuo monumenta vestri in me beneficii permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto, semperque praestabo, mihi neque in consiliis de republica capiendis, diligentiam; neque in periculis a republica

propulsandis, animum; neque in sententia simpliciter referenda, fidem; neque in hominum voluntatibus pro republica laedendis, libertatem; nec in perferendo labore, industriam; nec in vestris commodis augendis, gratam animi benevolentiam defuturam. Atque haec cura, Quirites! erit infixam animo meo sempiterna, ut, cum vobis, qui apud me Deorum immortalium vim, et numen tenetis, tum posteris vestris, cunctisque gentibus dignissimus ea civitate videar, quae suam dignitatem non posse tenere se, nisi me recuperasset, cunctis suffragiis iudicavit.



SELECTAE ORATIONES

E CAIO SALLUSTIO CRISPO.

Monitum.

Orationes Sallustii lectū dignae, et insignium documentorum plenae sunt; ex illis voluptatem capere, et fructum poteris. Haec magnorum virorum de illis est sententia, *Olaus Borrichius* Consp. Auct. Linguae Latinae rectas, ac plenas sententiis, et coloribus iudicat.

ORATIONIS ARGUM. et SYNOPSIS

E BELLO CATILINARIO.

Argum. Catilina contra patriam cum civibus diversi ordinis coniuraverat; quo scelere detecto ille urbe excessit ad exercitum iam comparatum; de sociis vero in Senatu deliberatum. Caesar rogatus sententiam dixit; maiorum institutis utendum, donec Reipublicae congrua sunt, nec morte esse mulcandos.

I. Exorditur orationem a gravi sententia, affirmatque omnes homines, maxime, qui de rebus publicis consultant, ab affectibus, partim studio debere esse liberos:

II. Ostendit exemplis, maiores Romanorum semper famae et dignitati, non affectibus privatis servivisse; quare in hoc quoque iudicio Senatus idem esse faciendum, ne superbiae et crudelitatis infamia notetur.

III. Alioquin cum leges verberare civem Romanum vetent, et condemnatis exilium definiant; his esse obsequendum, ne legum violationem tristes effectus consequantur; quales tam externa, quam domestica exempla ostendunt, Romaeque olim non sine causa mortis poenam in poenam exilii fuisse commutatam.

IV. Censet ergo coniurationis reos, bonis eorum publicatis, in municipia esse distribuendos, et in perpetuum custodiendos, ita, ut nunquam de revocandis iis fas sit agere.

O R A T I O.

Omnes homines, P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa afficiunt, neque quisquam omnium libidini simul, et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet: si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet.

Magna mihi copia memorandi, P. C. qui Reges, atque populi, ira, aut misericordia impulsus, male consulerint: sed ea malo dicere, quae maiores nostri, contra libidinem animi, recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum Rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas, magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida, atque adversa nobis fuit: sed postquam, bello confecto, de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis, quam iniuriae causa bellum inceptum diceret, impunitos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, quum saepe Carthaginenses et in pace, et per inducias multa nefaria facinora fecissent, nunquam ipsi per occasionem talia facere: magis, quid se dignum foret, quam quid in illos iure fieri posset, quaerebant. Hoc idem providendum est, P. C. ne plus valeat apud

vos P. Lentuli, et ceterorum scelus, quam vestra dignitas; neu magis irae, quam famae consulatis. Nam si digna poena pro factis eorum reperitur; novum consilium approbo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat; iis utendum censeo, quae legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite atque magnifice casum Reipublicae miserati sunt: quae belli saevitia esset, quae victis acciderent, enumerare: rapi virgines, pueros; divelli liberos a parentum complexu: matres familiarum pati, quae victoribus collibuisse: fana, atque domos exspoliari; caedem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore, atque luctu omnia compleri. Sed, per Deos immortales! quo illa oratio pertinet? an uti vos infestos coniurationi faceret? scilicet, quem res tanta, atque tam atrox non permovet, eum oratio accendet. Non ita est: neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur: multi eas gravius aequo habuere. Sed aliis alia licentia, P. C. qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna pares sunt: qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxima fortuna, minima licentia est, neque studere, neque odisse, sed minime irasci decet; nam quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia, atque crudelitas appellatur.

Equidem ego sic existimo, P. C. omnes cruciatus minores, quam facinora illorum esse, sed plerique mortales postrema meminere, et in hominibus impiis, sceleris eorum obliti, de poena disserunt, si ea paullo severior fuit. Decium Silanum virum fortem, atque strenuum, certe scio, quae dixerit, studio Reipublicae dixisse, neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere, eos mores, eamque modestiam viri cognovi. Verum sententia non mihi crudelis, (quid enim in ta-

les homines crudele fieri potest?) sed aliena a Republica nostra videtur. Nam profecto aut metus, aut iniuria te subegit, Silanae, Consulem designatum, genus poenae novum decernere. De timore supervacaneum est disserere, quum praesertim diligentia clarissimi viri Consulis tanta praesidia sint in armis. De poena possumus equidem dicere id, quod res habet: in luctu atque miseris mortem, aerumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curae, neque gaudio locum esse. Sed, per Deos immortales! quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? an quia lex Porcia vetat? at aliae leges item condemnatis civibus animam non eripi, sed exilium permitti iubent. An, quia gravius est verberari, quam necari? quid autem acerbum, aut grave nimis est in homines tanti facinoris convictos? sin quia levius; qui convenit in minore negotio legem timere, quum eam in maiore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas reipublicae decretum erit? tempus, dies, fortuna, cuius libido gentibus moderatur. Illis merito accidit, quidquid evenerit.

Ceterum vos, P. C. quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis orta sunt: sed ubi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis, et idoneis, ad indignos et non idoneos transfertur. Lacedaemonii, devictis Atheniensibus, triginta viros imposuere, qui Rempublicam eorum tractarent. Hi primo coepere pessimum quemque, et omnibus invisum, indemnatum necare, eo populus laetari, et merito dicere fieri. Post, ubi paullatim licentia crevit, iuxta bonos, et malos libidine interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultae laetitiae graves poenas dedit. Nostra memoria, victor Sulla, quum Damassippum, et alios huiusmodi, qui malo Reipublicae

creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? homines scelestos, factiosos, qui seditionibus Rempublicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit. Nam uti quisque domum, aut villam, postremo aut vas, aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Ita: quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, paullo post ipsi trahebantur; neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnes suos divitiis explevit.

Atque ego haec non in Marco Tullio, neque his temporibus vereor; sed in magna civitate multa, et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio Consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi, Ubi hoc exemplo, per Senatus decretum, Consul gladium eduxerit, quis finem statuet? aut quis moderabitur? Maiores nostri, P. C. neque consilii, neque audaciae unquam eguere: neque superbia, obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba, imitarentur. Arma, atque tela militaria ab Samnitibus, insignia Magistratum ab Tuscis pleraque sumserunt. Postremo, quod ubique apud socios, aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebatur: imitari, quam invidere bonis, malebant. Sed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animadvertabant in cives, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam Respublica adolevit, et multitudine civium factiones valere; circumveniri innocentes, alia huiuscemodi fieri coepere; tunc lex Porcia, aliaequae paratae, quibus legibus exilium damnatis permissum est. Hanc ego causam, P. C. quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus, atque sapientia maior in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus.

Placet igitur, eos dimitti, et augeri exercitum

Catilinae? minime; sed ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxime opibus valent: neu quis de iis postea ad Senatum referat, neve cum populo agat: qui aliter fecerit, Senatum existimare, eum contra Rempublicam, et salutem omnium facturum.

Adnot. Jam popularis erat Caesar, cum hanc sententiam praetor diceret. Qui popularitatis character ex oratione facile conici potest, praesertim si lector iam praevie ex Svetonio sciat, eundem Romae pridem magna fuisse molitum, ac propterea semper sibi optimatum factionem adversam habuisse. Quibus animis ista Caesaris sententia excepta sit, patebit inferius, cum in Catonis orationem quidpiam adnotabimus.

O R A T I O.

Arg. M. Porcius Cato probat: Coniuratos supplicio esse afficiendos.

Monitum. Jam ex ipso orationis argumento observas, sed multo magis e totius orationis contextu observabis constantissimi, et in avertendis a patria non minus morum, quam fortunarum periculis intrepidi civis imaginem. Orationis primum linamenta, propter emolumentum iuventutis, dabimus, tum ipsa sequetur oratio.

I. Dicit se Cato ab aliorum sententiis de coniuratorum poena dissidere, quos magis cavendos putaret, quam de illorum poena consultandum censeat.

II. Ostendit hoc in iudicio providendum esse Reipublicae saluti, quae in periculo versaretur, praesertim his moribus civium, quos graphice, et libere pingit.

III. Refutat severe Caesaris sententiam, quam

de poena coniuratorum tulerat, atque timendos, nisi gravitate huius iudicii, quamprimum percellantur, in quod illi unice defixissent mentes suas, attentique essent, ut itidem ipsi ad illius rationem sua consilia accommodent.

IV. Cum Respublica nullis bonorum civium praesidiis septa sit, sed omnium virtutum, quae illam tuerentur, vacua; propterea multo magis ei consulendum est: ne in tanta morum corruptione Dii ipsi conservatam irati, infestique nolint.

V. Exemplo maiorum monet: ut severitas in reos exerceatur, et nunc maxime praeparandum esse putat, cum iam hostes, et foris, et in sinu urbis essent.

VI. Ad extremum, animose pronunciat: supplicium de coniuratis esse sumendum.

O R A T I O.

Longe mihi alia mens est, P. C. quum res, atque pericula nostra considero, et quum sententias nonnullorum ipse mecum reputo. Illi mihi disse-ruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere. Res autem monet, cavere ab illis magis, quam quid in illos statuamus, consultare. Nam cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt; hoc, nisi pro-videris, ne accidat; ubi evenit, iudicia frustra im-plores. Capta urbe nihil fit reliquis victis.

Sed, per Deos immortales! vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quam Rempublicam fecistis. Si ista, cuiuscun-que modi sint, quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium praeberere vultis, expergi-scimini aliquando, et capessite Rempublicam. Non igitur nunc de vectigalibus, neque de sociorum iniuriis; libertas, et anima nostra in dubio est. Sae-penunero, P. C. multa verba in hoc ordine feci: saepe de luxuria, atque avaritia nostrorum civi-um questus sum; multosque mortales ea causa

adversos habeo, qui mihi, atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius libidini malefacta condonabam. Sed, ea tametsi vos parvi pendebatis; tamen Respubl. firma erat, opulentia negligentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonis, an malis moribus vivamus, neque quantum aut quam magnificum imperium populi Romani sit, sed haec cuiuscunque modi videntur, nostra, an nobiscum una, hoatum futura sint? Hic mihi quisquam mansuetudinem, et misericordiam nominat; iam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus: quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur; eo Respublica in extremo sita est. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis; sint misericordes in furibus aerarii: ne illis sanguinem nostrum largiantur; et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant.

Bene et composite C. Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, falsa, credo, existimans, quae de inferis memorantur: diverso itinere malos a bonis, loca tetra, inculta, foeda, atque formidolosa habere. Itaque censuit, pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos. Videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis, aut a multitudine conducta, per vim eripiantur. Quasi vero mali, atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium, si periculum ex illis metuit, sin in tanto omnium metu solus non timet; eo magis refert mihi, atque vobis timere. Quare quum de P. Lentulo, ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinae, et de omnibus coniuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit; si paululum modo vos langvere viderint, iam omnes feroces aderunt.

Nolite existimare, maiores nostros armis Republicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset, multo pulcherrimam nos haberemus: quippe sociorum, atque civium, praeterea armorum, atque equorum maior nobis copia, quam illis est. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos, et malos discrimen nullum, omnia virtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum; ubi vos separatim sibi quisque consilium capit, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae, aut gratiae servitis; eo fit, ut impetus fiat in vacuam Republicam. Sed ego haec omitto. Coniuravere nobilissimi cives patriam incendere, Gallorum gentem infestissimam Romano nomini ad bellum arcessunt; dux hostium cum exercitu supra caput est. Vos cunctamini etiam nunc, et dubitatis, quid, intra moenia deprehensis hostibus, faciatis? miseremini, censeo. Deliquere homines adolescentuli per ambitionem, atque etiam armatos dimittatis. Ne ista vobis mansuetudo, et misericordia, si illi arma coeperint, in miseriam vertet. Scilicet res aspera est; sed vos non timetis eam. Immo vero maxime timetis, sed inertia, et mollitia animi alius alium expectantes cunctamini; videlicet Diis immortalibus confisi, qui hanc Republicam saepe in maximis periculis servare. Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt. Ubi socordiae te, atque ignaviae tradideris, necquicquam Deos implores; irati, infestique sunt.

Apud maiores nostros Titus Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverit, necari iussit; atque ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit. Vos de crudelissimis parrici-

dis quid statuatis, cunctamini? Videlicet vita cetera eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si Diis, aut hominibus ullis unquam pepercit. Ignoscite Cethegi adolescentiae, nisi iterum patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabino, Statilio, Caepario loquar? quibus si quidquam pensi unquam fuisset, non ea consilia de Republica habuissent. Postremo, P. C. si mehercle peccato locus esset, facile paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis. Sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu in faucibus urget, alii intra moenia, atque in sinu urbis sunt hostes: neque parari, neque consuli quicquam potest occulte, quo magis properandum.

Quare ego ita censeo: cum nefario consilio sceleratorum civium Republica in maxima pericula venerit, hique iudicio T. Vulturcii, et Legatorum Allobrogum convicti, confessique sint, caedem, incendia, aliaque se foeda, atque crudelia facinora in cives, patriamque paravisse: de confessis sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum, supplicium sumendum.

Adnot. Senatus decretum fuit, uti ille censuerat, et Cato magnus, atque clarus pronunciatus, cum iam antea plures Caesar in suam sententiam traduxisset. Et quamvis Consulares omnes, Senatus magna pars sententiam Catonis laudaret. Caesar tamen non destitit rem impedire; quoadusque manus Equitum Romanorum, quae armata praesidii causa circumstabat, immoderatus perseveranti necem comminata est, etiam strictos gladios usque eo intentans, ut sedentem una proximi desererent; vix pauci complexu, togaque obiecta protexerint. *Svetonius in C. Jul. Caes. Num. 74.*

O R A T I O.

Ex Bello Jugurthino.

Argumentum. Atherbalem Micipsae Numidia Regis filium, Jugurtha fortunis, et regno spoliavit, occiso prius fratre eius Hiempsale. Itaque Atherbal Romam confugit, quo etiam Jugurthae Legati venerunt, multosque pecuniis corruperunt, ne quid in Jugurtham absentem gravius decerneretur; cum utrisque constituto die Senatus daretur, Atherbal pro se verba fecit.

S Y N O P S I S.

Orditur dicere a patris sui in Romanos fide, quam filiis tenendam demandasset, tanquam populi Rom. clientibus. Caius paterni praecepti observantia sibi omnium rerum naufragium conscivisset.

Itaque conatur a Senatu impetrare contra hostem Jugurtham auxilium, quo se dignum probat esse, ob familiam suam, utpote: Romanorum observantissimam.

I. Quia, cum Romani omnibus, qui ad eos confugiunt, opitulentur, multo magis Atherbalis familiam id mereri, quae populi Rom. beneficio regnum obtineret.

II. Etiamsi cliens ipse non esset, et amicus; tamen Maiestas Romana non debet pati alienam injuriam, et Regis opem implorantis.

III. Maxime: quod illa cum contemptu Maiestatis, et nominis Romani coniuncta sit. Facinus Jugurthae gravius esse, eo etiam, quod nullo maleficio provocatus in pace, dum minime putabatur, illud perpetrare ausus sit, et quidem beneficiarius populi Rom. cuius mores egregie describit.

IV, Urget se auxilio dignam, quod fuerit praeceptorum patris observantissimus, qui in amicitia Rom. manere tutissimum esse filiis inculcabat, licet esset permolestum propter hostes nominis Rom. quibus essent circumsepti.

V. Immo decere id Rom. magnitudinem ait: ut vindicet iniurias amicorum, qui in mediis hostibus fideles mansissent, et cum quorum magnitudine aut stare, aut cadere ab avo docti fuissent.

VI. Et licet spem haberet in magnitudine Rom. vindicandae iniuriae, metuere se tamen, ne amici Jugurthae evertant, qui sedulo agerent, ne quid in absentem decernatur.

In fine graviore deprecatione utitur, qui Senatam ad auxilium ferendum impellere conatur contra invasorem regni, quod Romanorum esset.

O R A T I O.

Patres Conscripti! Micipsa pater meus moriens mihi praecepit, uti regnum Numidiae tantummodo procuratione existimarem meum; ceterum ius, et imperium eius penes vos esse; simul eniterer domi, militiaeque quam maximo usui esse populo Romano, vos mihi cognatorum, vos affinium loco ducerem. Si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quae praecepta patris mei quum agitarem; Jugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissimus, contempto imperio vestro, Masinissae me nepotem, etiam a stirpe socium, atque amicum populi Romani regno, fortunisque omnibus expulit. Atque ego, P. C. quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem potius ob mea, quam ob maiorum meorum beneficia me posse a vobis auxilium petere; ac maxime mihi deberi beneficia a populo Romano, qui-

bus non egerem, sed ea si desideranda erant, uti debitis, uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est, neque mihi in manu fuit, Jugurtha qualis foret: ad vos confugi, P. C. quibus, quod mihi miserrimum est, cogor prius oneri, quam usui esse.

Ceteri Reges, aut bello victi in amicitiam a vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vestram appetiverunt. Familia nostra cum populo Romano bello Carthaginensi amicitiam instituit: quo tempore magis fides eius, quam fortuna petenda erat, quorum progeniem vos, P. C. nolite pati me, nepotem Masinissae, frustra a vobis auxilium petere.

Sed si ad impetrandum nihil causae haberem, praeter miserandam fortunam; quod paulo ante Rex genere, fama, atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto: tamen erat maiestatis populi Romani prohibere injuriam, neque pati, cujusquam regnum per scelus crescere. Verum ego iis finibus eiectus sum, quos maioribus meis populus Romanus dedit. Unde pater, et avus meus una vobiscum expulere Syphacem, et Carthaginenses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, P. C. vos in mea injuria despecti estis. Heu! me miserum, huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere? ut, quem tu parem cum liberis tuis, regnique participem fecisti, is potissimum stirpis tuae extinctor sit? Nunquam ne ergo familia nostra quieta erit? Semperne in sanguine, ferro, fuga versabitur? Dum Carthaginenses incolumes fuere, iure omnia saeva patiebamur. Hostes a latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa ejecta est, laeti pacem agitabamus: quippe queis nullus hostis erat, nisi forte, quem vos jussissetis.

Ecce autem ex improvise Jugurtha, intoleranda audacia, scelere, atque superbia se se efflerens, fratrem meo, atque eodem propinquo suo interfecto, primum

regnum ejus, sceleris sui praedam fecit: post, ubi me iisdem dolis nequit capere, nil minus, quam vim, aut bellum exspectantem, in imperio vestro, sicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem, et cooperatum miseriis effecit, ut ubivis tutius, quam in meo regno essem.

Ego sic existimabam, P. C. ut praedicantem audieram patrem meum, qui vestram amicitiam colerent diligenter, eos multum laborem suscipere, ceterum ex omnibus tutos esse. Quod in familia nostra fuit, praestitit: ut in omnibus bellis adesset vobis, nos uti per otium tuti simus, in manu vestra est, P. C. Pater nos duos fratres reliquit, tertium Jugurtham, beneficiis suis ratus nobis conjunctum fore. Alter eorum necatus est, alter ipse ego manus impias vix effugi. Quid agam? aut quo potissimum infelix accedam? generis praesidia omnia exstincta sunt. Pater, uti necesse erat, naturae concessit; fratri, quem minime decuit, propinquus per scelus vitam eripuit; affines, amicos, propinquos ceteros, alium alia clades oppressit. Capti ab Jugurtha, pars in crucem acti, pars bestiis obiecti sunt; pauci, quibus relicta est anima, clausi in tenebris cum moerore, et luctu morte graviores vitam exigunt.

Si omnia, quae aut amisi, aut ex necessariis, adversa facta sunt, incolumia manerent, tamen, si quid ex improvise mali accidisset, vos implorarem, P. C. quibus, pro magnitudine imperii, jus, et injurias omnes curae esse decet. Nunc vero exul patria, domo, solus atque omnium honestarum rerum egens, quo accedam? aut quos appellem? Nationesne, an Reges? qui omnes familiae nostrae ob vestram amicitiam infesti sunt. An quoquam mihi adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monumenta plurima sint? an quisquam nostri misereri potest qui aliquando vobis hostis fuit?

Postremo Masinissa nos ita instituit, P. C. ne quem coleremus, nisi populum Romanum, ne societates, ne foedera nova acciperemus; abunde magna praesidia nobis in vestra amicitia fore. Si huic imperio fortuna mutaretur, una nobis occidendum esse. Virtute, ac Diis volentibus magni, et opulenti estis, omnia secunda, et obedientia sunt; quo facilius sociorum injurias curare licet.

Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Jugurthae, parum cognita, transversos agat: quos ego audio maxima ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita causa, statuat; fingere me verba, et fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cujus impio facinore in has miseras proiectus sum, eadem haec simulantem videam! et aliquando aut apud vos, aut apud Deos immortales rerum humanarum cura oriat: ut ille, qui nunc sceleribus suis ferox, atque praeclarus est, omnibus malis excruciat, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miseriarum graves poenas reddat. Jam iam frater, animo meo carissime, quamquam tibi immaturo, et unde minime decuit, vita erepta est; tamen laetandum magis, quam dolendum puto casum tuum. Non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem, et omnes has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix in tanta mala praecipitatus, pulsus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebere: incertus quid agam, tuasne injurias persequar, ipse auxilii egens; an regno consulam, cuius vitae, necisque potestas ex alienis opibus pendet. Utinam emori, fortunis meis honestus exitus esset, neu vivere contemptus viderer, si defessus malis injuriae concessissem.

Nunc, quoniam neque vivere libet, neque mori licet sine dedecore, P. C. oro vos per liberos, atque parentes vestros, per maiestatem populi Romani, subvenite mihi misero: ite obviam injuriae, nolite

pati regnum Numidiae, quod vestrutū est, per scelus, et sanguinem familiae nostrae tabescere.

Adnot. Oratio haec diversis affectibus plena est, apto vibrantium figurarum artificio ornata, et ad sortem calamitosi Regis accommodata, qui se iuvare orat. Eandem saepe rem, commutatis verbis et figuris, ad movendum idoneis, narrando, versando, dubitando, exclamando, mortuos apte alloquendo, imprecando, deprecando nihil negligit, quo Senatū moveat. Ipse stilus concisus Regis supplicis vim habet. Quae omnia non obiter discipulis exponenda sunt, ut ars operis, et *sensus pulchri* intimius cognoscatur. Quaeso: ut Institutores, rerum soliditatem ad causam supplicis pertinentium, accurate hic et inprimis evolvant auditoribus suis. Ea sane digna est consideratione peculiari.

O R A T I O

Ex bello Jugurthino.

Argumentum. Marius cupientissima plebe Consul factus: Provinciam Numidiam obtinuit, contra Jugurtham bellum gesturus. Itaque advocata populi concione sequentem orationem habuit.

S Y N O P S I S.

Plerique dum ad honores nituntur, virtutem colunt, eosdem adepti ignave, et superbe vivunt. Sibi non esse hoc consilium, cui neque alia familiae adjumenta praesidio essent, sed sua tantum virtus.

Ideo bellum sibi contra Jugurtham commissum, non se per alios, quod plerique faciunt, sed per se gesturum.

Comparat se et sua facta cum illorum inertia, qui sibi hunc honorem invident, vivis coloribus

depingens eorum mores; ostenditque, quae sit vera nobilitas et virtus, quae nec dono, nec hereditate acquiri potest.

Postea de ratione belli gerendi, quam ipse observatus est, loquitur: et quam alii duces neglexerunt per ignaviam, inscitiam, avaritiam, timorem, qui contra Jugurtham bellare jussi sunt.

Finit orationem brevissime, quia putat strenuis viris se abunde dixisse: apud timidos verba frustra esse, nec virtutem addere.

O R A T I O.

Scio ego, Quirites! plerosque non iisdem artibus imperium a vobis petere, et postquam adepti sunt, gerere: primo industrios, supplices, modicos esse; dehinc per ignaviam, et superbiam, aetatem agere; sed mihi contra ea videtur. Nam quo universa Respublica pluris est, quam Consulatus, aut Praetura, eo majore cura illam administrari, quam haec peti debere. Neque me fallit, quantum cum vestro maximo beneficio negotii sustineam. Bellum parare simul, et aerario parcere; cogere ad militiam eos, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare; et ea agere inter invidos, occursantes, factionosos, opinione, Quirites! asperius est. Ad hoc, alii si deliquere, vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum, et affinium opes, multae clientelae, omnia haec praesidio adsunt; mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est et virtute, et innocentia tutari; nam alia infirma sunt. Et illud intelligo, Quirites! omnium ora in me conversa esse: aequos, bonosque favere: (quippe beneficia mea in Rempublicam procedunt) nobilitatem invadendi me, quaerere locum. Quo mihi acrius adnitendum est, ut neque vos capiamini, et illi frustra sint. Ita ad hoc aetatis a pueritia fuit, ut omnes labores, peri-

cula consveta habeam. Quae ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti, accepta mercede, deseram, non est consilium Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem se se probos simulavere; mihi, qui omnem aetatem in optimis artibus egi, benefacere jam ex consvetudine in naturam vertitur.

Bellum me gerere cum Jugurtha iussistis, quam rem nobilitas acerrime tulit. Quaeso: reputate cum animis vestris, num id mutare melius sit; si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiae, ac multarum imaginum, et nullius stipendii: scilicet, ut in tantare ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem sui officii. Ita plerumque evenit: ut quem vos imperare iussistis, is sibi imperatorem alium quaerat. Ac ego scio, Quirites! qui, postquam Consules facti sunt, acta majorum, et Graecorum militaria praecepta legere coeperint; praeposteri homines. Nam legere, quam fieri, tempore posterius; re atque usu prius est.

Comparatae nunc, Quirites! me hominem novum cum illorum superbia. Quae illi audire et legere solent, eorum partim vidi, alia egomet gessi; quae illi literis, ea ego didici militando. Nunc vos existimate: facta, an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra objectantur; quanquam ego naturam unam, et communem existimo, sed fortissimum quemque, generosissimum esse. Ac si jam ex patribus Albini, aut Bestiae quaeri posset, mene, an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis? nisi, se se liberos quam optimos voluisse! Quod si jure me despiciunt, faciant idem maioribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas coepit. Invident honori meo; ergo invideant et labori, innocentiae, periculis etiam meis; quoniam per haec illum coepi. Verum homines corrupti superbia ita aetatem agunt, quasi vestros honores

contemnant; ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Ne illi falsi sunt, qui diversissimas res pariter expectant, ignaviae voluptatem, et praemia virtutis. Atque etiam cum apud vos, aut in Senatu verba faciunt, pleraque oratione maiores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores se se putant: quod contra est. Nam quanto vita illorum praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior.

Et profecto ita se res habet: maiorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior, Quirites! verum id, quod multo praeclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt, scilicet: quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas est, quam certe peperisse, melius est, quam acceptam corrupisse. Equidem ego non ignoro, si iam mihi respondere velint, abunde illis facundam, et compositam orationem fore. Sed in maximo vestro beneficio cum omnibus locis me, vosque maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem, ex animi mei sententia, laedere nulla oratio potest: quippe vera, necesse est, bene praedicet, falsam vita, moresque mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem, et maximum negotium imposuistis: etiam, atque etiam reputate, num id poenitendum sit. Non possum fidei causa imagines, neque triumphos, aut consulatus maiorum meorum ostentare; at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, praeterea cicatrices adverso corpore. Hae sunt meae imagines, haec mea nobilitas non hereditate relicta, ut illa illis; sed quae ego plurimis meis laboribus. et periculis quaesivi.

Non sunt composita verba mea; parvi id facio; ipsa se virtus satis ostendit. Illis artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant. Neque literas Graecas didici: parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optima Reipublicae doctus sum: hostem ferire; praesidia agitare, nihil metuere, nisi turpem famam; hiemem. et aestatem iuxta pati; humi requiescere; eodem tempore inopiam, et laborem tolerare. His ego praeceptis milites hortabor: neque illos arcte colam, me opulenter; neque gloriam meam, laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque cum tate per molliam agas, exercitum supplicio cogere, id est: dominum, non imperatorem esse. Haec, atque talia maiores nostri faciendo, seque, et Rempubl. celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum aemulos contemnit; et omnes honores non ex merito, sed quasi debitos a vobis repetit. Ceterum homines superbissimi proculerant. Maiores eorum omnia, quae licebat, illis reliquere, divitias, imagines. memoriam sui praeclaram: virtutem non reliquere, neque poterant; ea sola datur dono, neque accipitur.

Sordidum me, et incultis moribus aiunt, quia parum scite convivium exorno, neque histrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quam villicum habeo; quae mihi libet confiteri, Quirites! nam et ex parente meo, et ex sanctis viris ita accepi: munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae, quam divitiarum; arma, non suppellectilem, decori esse. Quin ergo, quod juvat, quod carum aestimant, id semper faciant: ament, potent, ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant; in conviviis, dediti ventri, et turpissimae parti corporis; sudorem, pulverem, et alia talia relinquunt nobis, quibus illa epulis iucundiora sunt. Verum non est ita. Nam ubi se omnibus flagitiis dedecoravere turpissimi viri, bono-

rum praemia ereptum eunt. Ita iniustissime luxuria, et ignavia, pessimae artes, illis, qui coluere eas, nihil officiant, Reipublicae innoxiae cladi sunt.

Nunc quoniam illis, quantum mores mei non illorum flagitia, posebant, respondi; pauca de Republica loquar. Primum omnium de Numidia bonum habetote animum, Quirites! nam, quae ad hoc tempus Jugurtham tutata sunt, omnia removistis: avaritiam, imperitiam, atque superbiam; deinde exercitus ibi est locorum sciens; sed mehercule magis strenuus, quam felix. Nam magna pars eius, avaritia, aut temeritate Ducum attrita est. Quamobrem vos, quibus militaris est aetas, aditumini mecum, et capessite Rempublicam: neque quemquam ex calamitate aliorum, aut imperatorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine, atque in praelio Consultor idem, et socius periculi vobiscum adero; me, vosque in omnibus rebus iuxta geram. Et profecto, Diis iuvantibus, omnia matura sunt: victoria, praeda, laus; quae si dubia, aut procul essent, tamen omnes honos Reipublicae subvenire decebat. Etenim nemo ignavia immortalis factus est, neque quisquam parens liberis, uti aeterni forent, optavit; magis uti boni, honestique vitam exigerent.

Plura dicerem, Quirites! si timidis virtutem verba adderent: nam strenuis abunde dictum puto.

Adnot. Tota haec oratio viri est, qui aetatem in duris rebus exegit, factisque praeclaris pro patria enituit. Depinguntur in ea ignavi, et distincti nepotes, quique sola maiorum, et generis claritate tumidi putant omnes honores in Republica sibi deberi, cum interim acceptum ab avis splendorem, morum, et vivendi turpitudine obscurant nulli bo-

nae rei additi. Multa ex comparatione morum Marrii, et potentiorum, qui tunc Romae erant, ad vitam utilia documenta et ad cognitionem corruptorum publice morum auditoribus Praeceptor inculcare potest.

O R A T I O.

Ex Bello Jugurthino.

Argum. Bocchus Rex in Africa Jugurtham adversus Romanos adiuvit: sed cum eodem profligatus Legatos ad Marium misit, ut fidi homines ad se venirent, cum quibus de pace ageret: Rem Sullae, et Manlio Marius commisit; quorum prior hujuscemodi verba ad Bocchum fecit.

Rex Bocche! magna laetitia nobis, quum te talem virum Dii monuere: ut aliquando pacem, quam bellum, malle; ne ut te optimum cum pessimo omnium Jugurtha miscendo commaculares; simul nobis demeres acerbam necessitudinem pariter te errantem, et illum sceleratissimum persequendi. At hoc populo Romano iam a principio Reipublicae melius visum, amicos, quam servos, quaerere: tutius rati volentibus, quam coactis, imperitare. Tibi vero nulla opportunior amicitia nostra: primum, quod procul absumus, in quo offensae minimum, gratia par, ac si prope adessemus; deinde, quod parentes abunde habemus, amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium satis. Atque hoc utinam a principio tibi placuisset! profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus esses.

Sed quoniam humanarum rerum fortuna ple-
raque regit, cui scilicet placuit et vim, et gratiam
nostram experiri: nunc, quando per illam licet,
festina, atque, uti coepisti, perge. Multa, atque
opportuna habes, quo facilius errata officiis supe-
res. Postremo hoc in pectus tuum demitte, nun-
quam populum Romanum beneficiis victum: nam
bello quid valeat, tute scis.

SELECTAE ORATIONES
 EX TACITO.

Eiusdem brevis notitia.

C. Cornel. Tacitus, *Eques Roman. sub Vespasianis Procurator Galliae Belgicae fuit, etiam sub Domitiano, et Nervae; quo Imperante Consulatum gessit Anno Christi 97. Traiano Imperium gubernante variis honoribus functus est. Soceri sui Cn. Agricolae vitam magno iudicio, et cum quadam ingenii subtilitate scripsit. Librum etiam de moribus, populisque Germaniae habet; praeterea Libros Annalium XVI. composuit, quo opere Res Roman. ab excessu Augusti ad mortem Neronis persecutus est, sed ex his primi tantum VI. Libri supersunt, quorum quintus est mutilus. Reliquit etiam Libros historiarum, quorum tantum quinque priores ad nos pervenerunt, et postremus quidem etiam in fine mutilus.*

Inter amicos coluit maxime Plinium Juniolem, qui cum Historiae scribendae munus, quod ei detulerat, non recepisset, ipse Tacitus suscepit, Sunt, qui tradant eum aetatis annum octogesimum attigisse.

De scriptis eius varia sunt Eruditorum iudicia. Ex quibus Lipsius in Praefatione Taciti editioni praefixa tantum facit, ut omnigenae prudentiae laude omnibus Graecis, Romanisque illum anteponat; stilum vero eius magis gravem, quam elegantem dicit. Etiam Carol. Sigonius in Judiciis de Historicis Roman, eleganter eum Aulicae vitae rationem explicuisse pronunciat, cum in Palatina Aula Domitiani, Nervae, Traiani diu versatus sit. Editiones eius operum laudantur: Paris. An. 1682. Vol. II. in 4. ad usum Delph. et Venet. An. 1708. in 4. Item: Paris. 1760. Vol. II. in 12. et Paris. 1771. Vol. III. in 4. Cum notis variorum. Amst. 1672. Vol. II. Cum animadv. Theod. Ryckii Lugd. Bat. 1687. in 8. etc.

Multi in Tacitum notas scripserunt, inter quos Muretus Princeps est. Quidam etiam observationes Politicas in eum ediderunt; ex illo genere sunt: Christoph. Forstnerus, Janus Gruterus, Scipio Amiratius, Britan. et plures alii. Versiones illius plures sunt in linguam Gallicam; nec una tantum in Ital. Hisp. Germ. Belg.

EX ANNAL. LIB. VI.

Oratio *M. Terentii*, qua ostendere nititur minime fraudi sibi esse debere cultam cum *Seiano* amicitiam. a)

S Y N O P S I S.

Exordio misso, ad obiectum crimen, quod *propositionis*, seu *quaestionis* loco est, respondet: se amicitiam *Seiani* expetiisse, et obtenta laetatum fuisse: quia fuerat patris eius in muneribus collega: quia per illum aditus patebat ad gratiam *Caesaris*, quo cum et affinitate, et consulatus societate iunctus erat. Denique eo proventus: ut etiam clientes eius non optimi homines, et liberti prensarentur. Quare in hoc iudicio sceleris tantum cum *Seiano* communionem, non amicitiam esse spectandam; ne ipsi quoque *Caesari*, quod amicus *Seiani* fuerit, vitio dari posse videatur.

O R A T I O.

Fortunae quidem meae fortasse minus expediat agnoscere crimen, quam abnuere. Sed utcunque casura res est, fatebor et fuisse me *Seiano* amicum, et, ut essem, expetiisse; et, postquam adeptus eram, laetatum. Videram collegam patris, regendis praetoriis cohortibus, mox urbis, et militiae munia simul obeuntem. Illius propinqui, et affines honoribus augebantur; ut quisque *Seiano* intimus, ita ad *Caesaris* amicitiam validus: contra quibus infensus esset, metu, et sordibus conflictabantur. Nec quemquam exemplo adsumo: cunctos, qui novissimi consilii expertes fumus, meo unius discriminae

a) *Seianus* *Tiberio* principe fortuna, et potentia validus, iubente eodem *Caesare*, per *Macronem* oppressus ob coniurationem, ac trucidatus est.

defendam. Non enim Seianum Vulsiniensem, sed Claudiae, et Juliae domus partem, quas affinitate occupaverat, tuum Caesar generum, tui Consulatus socium, tua officia in republica capessentem colebamus. Non est nostrum aestimare, quem supra ceteros, et quibus de causis extollas. Tibi summum rerum iudicium Dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est. Spectamus porro, quae coram habentur: cui ex te opes, honores, quis a) plurima iuvandi, nocendive potentia; quae Sejano fuisse nemo negaverit. Abditos Principis sensus, et siquid occultius parat, exquirere illicitum, anceps; nec ideo adsequare. Ne, P. S. ultimum Sejani diem, sed sedecim annos cogitaveritis. Etiam Satrium, atque Pomponium venerabamur: b) Libertis quoque, ac ianitoribus eius notescere, pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? indistincta haec defensio, et promiscua dabitur? immo iustis terminis dividatur. Insidiae in rempublicam, consilia caedis adversum Imperatorem puniantur; de amicitia, et officiis idem finis, et te Caesar, et nos absolverit.

O R A T I O.

Claudii Imperatoris.

Tacit. Annal. Lib. XI.

Quae ostendit Gallis Romanae Civitatis ius plenum esse concedendum.

Maiores mei (quorum antiquissimus Clausus origine Sabina, simul in civitatem Romanam, et in familias patriciorum adscitus est) hortantur, uti paribus consiliis Rempublicam capessam transferendo huc,

a) *Quis plurima*) intellige: *queis plurima.*

b) Nefarios Sejani clientes.

quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanos Camerio, Porcios Tusculo; et, ne vetera scrutemur, Etruria, Lucaniaque, et omni Italia in Senatum accitos. Postremo ipsam ad alpes promotam, ut non modo singuli viritum, sed terrae, gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, et adversus externa floruimus, cum Transpadani in civitatem recepti, cum specie deductarum per orbem terrae legionum, additis provincialium validissimis. fesso imperio subventum est. Num poenitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse? Manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedaemoniis, et Atheniensibus fuit, quanquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. Advenae in nos regnaverunt. Libertinorum filiis Magistratus mandari, non, ut plerique falluntur, repens, a) sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnavimus. Scilicet; Volsci, Aequi, nunquam adversam nobis aciem struxere? capti a Gallis sumus. Sed et Thuscis obsides dedimus, et Sannitium iugum subivimus. Attamen si cuncta bella recenseas, nullum brevioris spatio, quam adversus Gallos confectum. Continua inde, ac fida pax. Iam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti; aurum, et opes suas inferant potius quam separati habeant. Omnia, P. C. quae nunc vetustissima creduntur, nova fuere: Plebei Magistratus post Patricios; Latini post Plebeios; ceterarum Italiae gentium post Latinos. Inveterascet hoc quoque: et, quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.

a) *Repens*) Veteres, quorum magnus est imitator Tacitus, *repens*, pro *recens*, dicebant. Alioquin etiam pro *subitus*, *repentinus* ponitur.

O R A T I O.

Senecae ad Neronem.

Tacit. Annal. Lib. XIV.

Qua petit, ut ei Nero, receptis in aerarium proprium quibus eum cumularat maximis opibus in otium secedendi potestatem faciat.

Quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tuae admotus sum; octavus, et imperium obtines. Medio temporis tantum honorum, atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meae desit, nisi moderatio eius. Utar magnis exemplis, nec meae fortunae, sed tuae. a) Abavus tuus Augustus, M. Agrippae Mitylenense secretum; C. Maecenati urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit, quorum alter bellorum socius, alter Romae pluribus laboribus iactatus, ampla quidem sed pro ingentibus meritis praemia acceperant. Ego quid aliud munificentiae tuae adhibere potui, quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata: et quibus claritudo venit, quod iuventutis tuae rudimentis adfuisse videor? grande huius rei pretium. At tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti, adeo, ut plerumque intra me ipsa volvam: egone equestri, et provinciali loco ortus, proceribus civitatis adnumeror? inter nobiles, at longa decora praefereutes novitas mea erituit? ubi est animus ille modicis contentus? tales hortos instruit, et per haec sub urbana incedit, et tantis agrorum spatiis, tam lato foenore exuberat? una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed uterque mensuram implevimus; et tu,

a) De Agrippa et Maecenate, vide *Svet. in Caes. Oct. Augusto, Cap. 66.*

quantum princeps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere. Cetera invidiam augent: quae quidem ut omnia mortalia infra tuam magnitudinem iacent; sed mihi incumbant, mihi subveniendum est. Quomodo in militia, aut via fessus adminiculum orarem; ita hoc itinere vitae, senex, et levissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto. Iube eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam; sed traditis, quorum fulgore perstringor, quod temporis hortorum, aut villarum curae seponitur, in animum revocabo. Superest tibi robur, et tot per annos nixum fastigii regimen: possumus seniores amici quiete respondere a). Hoc quoque in tuam gloriam cedet, eos ad summa vexisse, qui et modica tolerarent.

O R A T I O

Neronis ad Senecam.

Tacit. Annal. Lib. XIV.

Quod meditatae orationi tuae statim occurram, id primum tui muneris habeo, qui me non tantum praevisa, sed subita expedire docuisti. Abavus meus Augustus Agrippae, et Maecenati usurpare otium post labores concessi; sed in ea ipsa aetate, cuius auctoritas tueretur, quidquid illud, et quaecumque tribuisset; attamen neutrum datis a se praemiis exiit. Bello, et periculis meruerant. In his enim iuventa Augusti versata est. Nec mihi tela, et manus tuae defuissent, in armis agenti. Sed quod praesens conditio poscebat: ratione, consiliis praeceptis pueritiam, dein iuventam meam fovisti. Et tua quidem erga me

a) *Quiete respondere*) Petavio auctore videtur legendum esse: *quietam respicere*.

munera, dum vita suppetet, aeterna erunt; quae a me habes, horti, et foenus, et villae casibus obnoxia sunt, ac licet multa videantur, plerique haud quam artibus tuis pares, plura tenuerunt. Pudet referre Libertinos qui ditiores spectantur. Unde etiam rubori mihi est, quod praecipuus caritate, nondum omnes fortuna antecellis. Verum et tibi valida aetas, rebusque, et fructui rerum sufficiens; et nos prima imperii spacia ingredimur: *plurima adhuc in te collaturi*; nisi forte aut te Vitellio ter Consuli. aut me Claudio postponis; vel quantum Volusio longa parsimonia quaesivit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin, si qua in parte lubricum adolescentiae nostrae declinat, revocas; ornatumque robur subsidio impensius regis. Non tua moderatio: si reddideris pecuniam: nec quies, si reliqueris principem; sed mea avaritia, meae crudelitatis metus in ore omnium versabitur. Quod si maxime continentia tua laudetur; non tamen sapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam paret, inde gloriam sibi recipere.

Adnot. His adiecit (Nero) *inquit Tacitus*: complexum; et oscula factus natura, et consuetudine exercitus velare odium fictis blanditiis.

D E L E C T U S

E X

L I V I I H I S T O R I A .

De Historia Livii Ioan. Andr. Bosius Dissert. de Compar. Eloqu. Civili §. 12. haec profert: Tanquam Civilis Eloquentiae promptuarium debet haberi; tum ob Narrationis iucunditatem, candorem, copiam, dignitatem, magnificentiam, tum ob res varias, orationes concionesque passim insertas. Et Ioan. Henr. Boeclerus: Livius eloquentissimus Auctor, et omnis Politicae eloquentiae promptuarium. De Eloq. Polit. Num 48. Vita Livii in anni superioris Chrestomathia proponitur.

Monitum. E centum et quadraginta plane aureis, quos scripsit Livius, Historiae Rom, libris, res gestas populi Rom. ab urbe condita ad Drusi usque mortem complectitur, vix bene *triginta quinque* ad nos pervenerunt, Nimirum (loquemur hic secundum eos, qui Livium in *Decades*, has in *Libros* diviserunt) ex *Decadibus* omnino *quatuordecim*, quas reliquerat, *Decas Prima, Tertia, et Quarta*, cum *primis quinque Decadis Quintae libris*, iisque foede mutilatis, reliqua misero rei literariae fato interiire. Ingentes gratiae iis agenda sunt, qui haec damna supplementis sarcire conati sunt, quae multis editionibus adiiciuntur.

In iis autem, quae supersunt, *Tertia Decas* amplitudine, magnificentia, ubertate, verborum etiam ornatu, et elegantia, tantum vincit priorem, quantum Romana Respublica hoc sexto seculo florens, et adulta, se ipsa nascente superior erat, facileque apparet, *Livium* in hac eximia sui operis parte curiosius elaboranda, omnes sui ingenii vires, conatum omnem effudisse. Quare ex illa exquisitissima quaeque delecta ad omnem *Praelectionis, Imitationis, Coarctationis, et Amplificationis* usum proponuntur.

DECADIS III. LIBRI I. et II. SELECTA.

Alias Librorum: 21. et 22.

I.

Causa belli Punici secundi.

In parte operis mei licet mihi praefari, quod in principio summae totius professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maxime memorabile omnium, quae unquam gesta sint, me scripturum, quod Annibale duce Carthaginenses cum populo Rom. gessere. Nam neque validiores opibus ullae inter se civitates, gentesque contulerunt arma: neque his ipsis tantum unquam virium, aut roboris fuit: et haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo Punico conferebant bello, et adeo viria belli fortuna, ancepsque Mars fuit, ut propius periculo fuerint, qui vicere. Odiis etiam prope maioribus certarunt, quam viribus; Romanis indignantibus, quod victoribus victi ultro inferrent arma; Poenis, quod superbe, avaraeque crederent, imperitatum victis esse. Fama etiam est. Annibalem annorum ferme novem, pueriliter blandientem patri Amilcari, ut duceretur in Hispaniam cum perfecto Africo bello, exercitum eo traiecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris

inrejurando adactum, se, cum primum posset, hostem fore populo Romano. Angebant ingentis spiritus virum Sicilia, Sardiniaque amissae, Nam et Siciliam nimis celeri rerum desperatione concessam; et Sardiniam inter motum Africae, fraude Romanorum, stipendio etiam super imposito, interceptam. His anxius curis ita se Africo bello, quod fuit sub recentem Romanam pacem, per quinque annos; ita deinde novem annis in Hispania augendo punico imperio gessit, ut adpareret omnibus maius eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum; et, si diutius vixisset, Amilcare duce Poenos arma Italiae illaturos fuisse, quae Annibalis ductu intulerunt. Mors Amilcaris peropportuna, et pueritia Annibalis, distulerunt bellam. Medius Asdrubal inter patrem, et filium octo ferme annos imperium obtinuit, flore aetatis, uti ferunt, primo Amilcari conciliatus: gener inde ob altam indolem animi profecto adscitus, et quia gener erat, factionis Barchinae opibus, quae apud milites, plebemque plus, quam modicae erant, haud sane voluntate Principum, imperio potitus. Is plura consilio, quam vi, gerens, auspiciis regulorum magis, conciliandisque per amicitiam Principum novis gentibus, quam bello, aut armis rem Carthaginensem auxit. Ceterum ei nihilo pax tutior fuit. Barbarus eum quidam palam, ob iram interfecti ab eo domini, obtruncavit. Comprehensusque a circumstantibus haud alio, quam si evasisset, vultu, tormentis quoque cum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut, superante laetitia dolores, ridentis etiam speciem praebuerit. Cum hoc Asdrubale, quia mirae artis in sollicitandis gentibus, imperioque iungendis suo fuerat, foedus renovaverat populus Romanus: ut finis utriusque imperii esset annis Iberus, Saguntinisque mediis inter imperia duorum populorum libertas servaretur.

II.

Annibal a Carthaginensibus Dux eligitur.

In Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin praerogativam militarem, qua extemplo juvenis Annibal in praetorium delatus, Imperatorque ingenti omnium clamore, atque adsensu adpellatus erat, favor etiam plebis sequeretur. Hunc vix dum puberem Asdrubal literis ad se accesserat: actaque res in Senatu etiam fuerat. Barchinis nitentibus, ut adsuesceret militiae Annibal, atque in paternas succederet opes. Anno alterius factionis princeps: *Et aequum postulare videtur*, inquit, *Asdrubal; et ego tamen non censeo, quod petit, tribuendum.* Cum admiratione tam ancipitis sententiae, in se omnes convertisset; *florem aetatis*, inquit *Asdrubal, quem ipse patri Annibalis fruendum praebuit, iusto iure eum a filio repeti censeo.* Nos tamen minime decet iuventutem nostram pro militari rudimento adsuefacere libidini Imperatorum. *An hoc timeamus, ne Amilcaris filius nimis sero imperia immodica, et regni paterni speciem videat? et cuius Regis genero hereditarii sint relictus exercitus nostri, eius filio parum mature serviamus? Ego, istum iuvenem domi tenendum, sub legibus, sub Magistratibus docendum vivere aequo iure, cum ceteris, censeo, ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens excuset.* Pauci, ac ferme optimus quisque Annoni adsentiebantur: sed, ut plerumque fit, maior pars meliorem vicit. Missus Annibal in Hispaniam, primo statim adventu omnem exercitum in se convertit. Amilcarem viventem redditum sibi, veteres milites credere: eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamentaue intueri. Deinde brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum, atque imperandum, habilis fuit. Itaque haud facile discerneres, utrum

Imperatori, an exercitui carior esset: neque Asdrubal alium quemquam praeficere malle, ubi quid fortiter, ac strenue agendum esset; neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Coloris, ac frigoris patientia par: cibi, potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus. Vigiliarum, somnique nec die, nec nocte discriminata tempora. Id, quod gerendis rebus superesset, quieti datum. Ea neque molli strato, neque silentio arcessita. Multi saepe militari sagulo opertum, humi iacentem inter custodias, stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter aequales excellens: arma, atque equi conspicebantur; equitum, peditumque idem longe primus erat. Princeps praelium inibat, ultimus confecto praelio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia aequabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus Deum metus, nullum iusiurandum, nulla religio. Cum hac iudole virtutum, atque vitiorum triennio sub Asdrubale Imperatore meruit: nulla re, quae agenda, audendaque magno futuro duci esset, praetermissa.

III.

Ad Saguntum oppugnandum pergit.

Ceterum ex quo die dux est declaratus, velut Italia ei provincia decreta, bellumque Romanum mandatum esset. nihil prolatandum ratus, ne se quoque, ut patrem Amilcarem deinde Asdrubalem, cunctantem easus aliquis opprimeret, Saguntinis bellum inferre statuit, Quibus oppugnandis quia haud dubie Romana arma movebantur, in Olcadum fines prius (ultra Iberum ea gens in parte magis, quam in ditioe Carthaginensium erat) induxit exercitum, ut non petisse Saguntinos, sed rerum serie, finitimis domitis

gentibus, iungendisque, tractus ad id bellum videri posset. Atheiam. urbem opulentam, caput gentis eius, expugnat, diripitque; quo metu percussae minores civitates, stipendio imposito, imperium accipere. Victor exercitus, opulentusque praeda Carthaginem novam in hiberna est deductus. Ibi large partiendo praedam, stipendia praeterita cum fide exsolvendo, cunctis civium, sociorumque animis in se firmatis, vere primo in Vaccaeos promotum bellum. Helmandica, et Arbocala Vaccaeorum urbes vi captae. Arbocala et virtute, et multitudine oppidanorum diu defensa. Ab Helmandica profugi, exulibus Olcadum, priore aestate domitae gentis, cum se iunxissent, concitant Carpetanos: adorti Annibalem regressum ex Vaccaeis, haud procul Tago flumine agmen grave praeda turbavere, Annibal praelio abstinuit; castrisque super ripam positis, cum prima quies, silentiumque ab hostibus fuit, amnem vado traiecit: valloque ita producto, ut locum ad transgrediendum hostes haberent, invadere eos transeuntes statuit. Equitibus praecipit ut cum ingressos aquam viderent, adorirentur perditum agmen. In ripa elephantos ante quadraginta disposuit. Carpetanorum cum appendicibus Olcadum, Vaccaeorumque, centum millia fuere, invicta acies, si aequo dimicaretur campo. Itaque et ingenio feroces, et multitudine freti, et quod metu cessisse credebant hostem: id morari victoriam rati, quod interesset annis: clamore sublato, passim sine ullius imperio, qua cuique proximum est, in amnem ruunt. Et ex parte altera ripae vis ingens equitum in flumen immissa: medioque alveo haudquaquam pari certamine concursum, quippe ubi pedes instabilis, ac vix vado fidens, vel ab inermi equite, equo temere acto. perverti posset: eques corpore, armisque liber, equo vel per medios gurgites stabili, eominus, eminusque rem gereret. Pars magna flumine absumpta, quidam vorticoso amne delati in hostes, ab elephantis obtriti sunt. Postremis, quibus regressus in suam ripam tutior fuit, ex varia trepidatione cum in unam colligerentur, priusquam tanto

ex pavore reciperent animos, Annibal agmine quadrato amnem ingressus, fugam ex ripa fecit: vastatisque agris, intra paucos dies Carpetanos quoque in deditionem accepit.

IV.

Saguntini auxilia petunt a Romanis.

Et iam omnia trans Iberum, praeter Saguntinos, Carthaginensium erant. Cum Saguntinis bellum nondum erat; ceterum iam belli causa certamina cum finitimis ferebantur, maxime Turdetanis, quibus cum adesset idem, qui litis erat sator, nec certamen iuris, sed vim quaeri adpareret: Legati a Saguntinis Romam missi, auxilium ad bellum iam haud dubie imminens orantes. Consules tum Romae erant P. Cornelius Scipio, et T. Sempronius Longus. Qui cum legatis in Senatum introductis de republica retulissent, placuissetque mitti legatos in Hispaniam ad res sociorum inspiciendas; quibus, si videretur digna causa, et Annibali denunciarent, ut a Saguntinis, sociis populi Romani abstineret, et Carthaginem in Africam traicerent, ac sociorum populi Romani querimonias deferrent. Hac legatione decreta, necdum missa, omnium spe celerius Saguntum oppugnari adlatum est. Tunc delata ex integro res ad Senatum. Alii provincias Consulibus Hispaniam, atque Africam decernentes, terrarumque rem gerendam censebant. Alii totum in Hispaniam, Annibalemque intendebant bellum. Erant, qui non temere movendam rem tantam, expectandosque ex Hispania legatos censerent. Haec sententia, quae tutissima videbatur, vicit; legati-que eo maturius missi P. Valerius Flaccus, et Q. Boebius Tamphilus Saguntum ad Annibalem: atque inde Carthaginem, si non abstineretur bello, ad ducem ipsum in poenam foederis rupti descendendum.

V.

Saguntini oppugnationem acerrima sustinent.

Dum ea Romani parant, consultantque, iam Saguntum summa vi oppugnabatur. Civitas ea longe opulentissima ultra Iberum fuit sita passus mille ferme a mari. Oriundi a Zacyntho insula dicuntur, missique etiam ab Ardea Rutulorum quidam generis. Ceterum in tantas brevi creverunt opes, seu maritimis, seu terrestribus fructibus, seu multitudinis incremento, seu sanctitate disciplinae, qua fidem socialem usque ad perniciem suam coluerunt. Annibal infesto exercitu ingressus fines, pervastatis passim agris, urbem tripartito adgreditur. Angulus muri erat in planiorem, patentioreinque, quam cetera, circa vallem vergens: adversus eum vineas agere instituit, per quas aries moenibus admoveri posset. Sed ut locus procul muro satis aequus agendis vineis fuit: ita haud quaquam prospere, postquam ad effectum operis ventum est, coeptis succedebat; et turris ingens imminebat, et murus, ut in suspecto loco, supra ceterae modum altitudinis munitus erat. et iuventus delecta, ubi plurimum periculi, ac laboris ostendebatur, ibi vi maiore obsistebat. Ac primo missilibus subinverehostem; nec quicquam satis tutum munientibus pati. Deinde iam non pro moenibus modo, atque turri tela micare, sed ad erumpendum etiam in stationes, operaque hostium animus erat, quibus tumultuariis certaminibus haud ferme plures Saguntini cadebant, quam Poeni. Ut vero Annibal ipse, dum murum incautius subit, adversum femur tragula graviter ictus cecidit: tanta circa fuga, atque trepidatio fuit, ut non multum abesset, quin opera, ac vineae desererentur. Obsidio deinde per paucos dies magis, quam oppugnatio fuit, dum vulnus ducis curaretur. Per quod tempus, ut quies certaminum erat, ita ab apparatu operum, ac munitio- num nihil cessatum. Itaque acrius de integro

obortum est bellum, pluribusque partibus, vix accipientibus quibusdam opera locis, vineae coeptae agi, admoverique aries. Abundabat multitudine hominum Poenus. Ad centum enim, et quinquaginta millia habuisse in armis creditur. Oppidani ad omnia tuenda, atque obeunda, multimoda arte distineri coepti sunt: et non sufficebant. Iam enim feriebantur arietibus muri: quassatae quoque multae partes erant, una continentibus ruinis nudaverat urbem. Tres deinceps turres, quantumque inter eas muri erat, cum fragore ingenti prociderant: captumque oppidum ea ruina crediderant Poeni, qua, velut si pariter utrosque murus texisset, ita utrinque in pugnam procursum est. Nihil tumultuariæ pugnae simile erat, quales in oppugnationibus urbium, per occasionem partis alterius, conseri solent: sed iustae acies, velut patenti campo, inter ruinas muri, tectaque urbis modico distantia intervallo constiterant. Hinc spes, hinc desperatio animos irritat: Poeno cepisse iam se urbem, si paululum adnitatur, credente: Saguntinis pro nudata moenibus patria corpora opponentibus; nec ullo pedem referente, ne relicto a se loco hostem immitteret. Itaque, quo acrius, et confertim magis utrinque pugnabatur, eo plures vulnerabantur, nullo inter arma, corporaque vano intercidente telo. Falarica erat Saguntinis missile telum, hastili oblongo, et cetera tereti, praeterquam ad extremum, unde ferrum exstabat; id, sicut in pilo, quadratum, stупpa circumligabant, linebantque pice; ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus posset. Sed id maxime, etiamsi haesisset in scuto, nec penetrasset in corpus, pavorem faciebat, quod cum medium accensum mitteretur, conceptumque ipso motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad insequentes ictus praebebat. Cum ergo diu anceps fuisset certamen, et Saguntinis, quia praeter spem resisterent, crevissent animi: Poenus, quia non vicisset, pro victo esset, clamorem repente oppidani tollunt, hostemque in

ruinas muri expellunt; inde impeditum, trepidantemque exturbant: postremo fusum, fugatumque in castra redigunt.

VI.

Missa Roma ad Annibalem, ac Carthaginem legatione nihil proficitur.

Interim, ab Roma legatos venisse, nuntiatum est, quibus obviam ad mare missi ab Annibale, qui dicerent, nec tuto eos adituros inter tot tam effertarum gentium arma: nec Annibali in tanto discrimine rerum operae esse legationes audire. Adparebat non admissos protinus Carthaginem ituros. Literas igitur, nunciosque ad principes factionis Barchinae praemittit, ut praepararent suorum animos, ne quid pars altera gratificari pro Romanis posset. Itaque, praeterquam quod admissi, auditique non sunt, ea quoque vana, atque irrita legatio fuit. Anno unus, adverso Senatu, causam foederis rupti, magno silentio, propter auctoritatem suam cum adsensu audientium egit. *Per Deos foederum arbitros, ac testes monuisse, praedixisse se, ne Amilcaris progeniem ad exercitum mitterent. Non manes, non stirpem eius conquiescere viri, nec unquam, donec sanguinis, nominisque Barchini quisquam supersit, quietura Romana foedera. Iuvenem flagrantem cupidine regni, viamque unam ad id cernentem, si ex bellis bella serendo succintus armis, legionibusque vivat, velut materiam igni praebentes, ad exercitus missetis. Aluistis ergo hoc incendium, quo nunc ardetis. Saguntum vestri circumsident exercitus, unde arcentur foedere; mox Carthaginem circumsidebunt Romanae legiones, ducibus iisdem Diis, per quos priore bello rupta foedera sunt ulti. Utrum hostem, an vos, an fortunam utriusque populi ignoratis? Legatos ab sociis, et pro sociis venientes bonus Impera-*

tor vester in castra non admisit. ius gentium sustulit. Hi tamen, unde ne hostium quidem legati arcentur, pulsati ad vos veniunt, res ex foedere repentunt; publica fraus absit: auctorem culpae, et reum criminis deposcunt. Quo lenius agunt, segnius incipiunt; eo, cum coeperint, vereor, ne perseverantius saeviant. Aegates insulam, Erycemque ante oculos proponite, quae terra, marique per quatuor, et viginti annos passi sitis. Nec puer hic dux erat, sed pater ipse Amilcar, Mars alter, ut isti volunt. Sed tunc Tarento, et Italia non abstinueramus ex foedere; sicut nunc Sagunto non abstinemus. Vicerunt ergo Dii, hominesque, et id, de quo verbis ambigebatur, uter populus foedus rupisset, eventus belli, aequus iudex, unde ius stabat, ei victoriam dedit. Carthagini nunc Annibal vineas, turresque admovet: Carthaginis moenia quatit ariete, Sagunti ruinae (falsus utinam vates sim) nostris capitibus incident: susceptumque cum Saguntinis bellum, habendum cum Romanis est. Dedemus ergo Annibalem? dicet aliquis. Scio meam levem esse in eo auctoritatem, propter paternas inimicitias. Sed et Amilcarem eo periisse laetatus sum, quod, si ille viveret, bellum iam cum Romanis haberemus; et hunc iuvenem, tanquam furiam, facemque huius belli, odi, ac detestor. Nec dedendum solum ad piaculum rupti foederis; sed, si nemo deposcat, devehendum in ultimas maris, terrarumque oras, ablegandumque eo, unde nec ad nos nomen, famaue eius accedere, nec sollicitare quietae civitatis statum possit. Ego autem ita censeo, legatos extemplo Romam mittendos, qui Senatui satisfaciant: alios, qui Annibali nuncient, ut exercitum ab Sagunto abducat: ipsumque Annibalem ex foedere Romanis dedant: tertiam legationem ad res Saguntinis reddendas decerno. Cum Anno perorasset nemini omnium certare oratione cum eo necesse fuit. Adeo prope omnis Senatus Annibalis erat, infestiusque locutum arguebant Annonem, quam Flaccum Valerium lega-

rum Romanum. Responsum inde legatis Romanis est: *bellum ortum ab Saguntinis, non ab Annibale, esse, populum Romanum iniuste facere, si Saguntinos vetustissimae Carthaginensium societati praeponat.*

VII.

Sagunti oppugnatio ab Annibale fortius instauratur.

Dum Romani tempus terunt legationibus mittendis, Annibal, quia fessum militem praelis, operibusque habebat, paucorum iis dierum quietem dedit, stationibus ad custodiam vinearum, aliorumque operum dispositis. Interim animos eorum nunc ira in hostes stimulando, nunc spe praemiorum accendit. Ut vero pro concione, praedam captae urbis edixit militum fore, adeo accensi omnes sunt, ut, si extemplo signum datum esset, nulla vi resisti videretur posse. Saguntini, ut a praeliis quietem habuerant, nec lacescentes, nec lacesciti, per aliquot dies: ita non nocte, non die unquam cessaverant ab opere, ut novum murum ab ea parte, qua patefactum oppidum ruinis erat, reficerent. Inde oppugnatio eos aliquanto atrocior, quam ante, adorta est; nec, qua primum aut potissimum parte ferrent opem, cum omnia variis clamoribus streperent, satis scire poterant. Ipse Annibal, qua turris mobilis, omnia munimenta urbis superans altitudine, agebatur, hortator aderat, Quae cum admota catapultis, balistisque per omnia tabulata dispositis, muros defensoribus nudasset, tum Annibal occasionem ratus, quingentos fere Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit. Nec erat difficile opus, quod caementa non calce durata fuerant, sed interlita luto, structurae antiquae genere. Itaque ante quam caederetur, ruebat, perque

patientia ruinis agmina armatorum in urbem vadebant: locum quoque editum capiunt, collatisque eo catapultis, balistisque, ut castellum in ipsa urbe, velut arcem imminuentem, haberent, muro circumdant. Et Saguntini murum interiorem ab nondum capta urbis parte ducunt. Utrinque summa vi et muniunt, et pugnant. Sed interiora tuendo, minorem in dies urbem Saguntini faciunt, simul crescit inopia omnium longa obsidione, et minuitur expectatio externae opis cum tam procul Romani, unica spes, circa omnia hostium essent. Paulisper tamen adfectos animos recreavit repentina profectio Annibalis in Oretanos, Carpetanosque, qui duo populi delectus acerbitate consternati, retentis conquisitoribus, metum defectionis cum praebuissent, oppressi celeritate Annibalis, omiserunt mota arma. Nec Sagunti oppugnatio segnior erat: Maharbale, Hamilconis filio, quem praefecerat Annibal, ita impigre rem agente, ut ducem abesse, nec cives, nec hostes sentirent. Is et praelia aliquot secunda fecit, et tribus arietibus aliquantum muri discussit: strataque omnia recentibus ruinis adveniēti Annibali ostendit. Itaque ad ipsam arcem extemplo ductus exercitus, atroxque praelium cum multorum utrinque caede initum, et pars arcis capta est.

VIII.

frustra
happaldum
Pacis consilia nequicquam agitantur.

Tentata deinde per duos exigua pacis spes, Alconem Saguntinum, et Alorcum Hispanum. Alco, insciis Saguntinis, precibus aliquid moturum ratus, cum ad Annibalem noctu transisset, postquam nihil lacrymae movebant, conditionesque tristes, ut ab irato victore, ferebantur, transfuga ex oratore factus, apud hostem mansit, moriturum adfirmans, qui sub conditionibus his de pace ageret. Postula-

batur autem: redderent res Turdetanis, traditoque omni auro, atque argento, egressi urbe cum singulis vestimentis, ibi habitarent, ubi Poenus iussisset, Has pacis leges abnuente Alcone accepturos Saguntinos, Alorcus, vinci animos, ubi alia vincantur, adfirmans, se pacis eius interpretem fore pollicetur. Erat autem tum miles Annibalis: ceterum publice Saguntinis amicus, atque hospes. Tradito palam telo custodibus hostium, transgressus munimenta, ad praetorem Saguntinum (et ipse ita iubebat) est deductus. Quo, cum extemplo concursus omnis generis hominum esset factus: summota cetera multitudine, Senatus Alorco datus est, cuius talis oratio fuit: *Si civis vester Alco sicuti ad pacem petendam ad Annibalem venit, ita pacis condiciones ab Annibale ad vos retulisset, supervacaneum hoc mihi fuisset iter, quo nec orator Annibalis, nec transfuga ad vos venissem. Cum vero ille aut vestra, aut sua culpa manserit apud hostem: si metum simulavit, suat vestra, si periculum est apud vos vera referentibus: ego, ne ignoretis esse aliquas et salutis, et pacis vobis condiciones. pro vetusto hospitio, quod mihi vobiscum est, ad vos veni. Vestra autem causa me, nec ullius alterius, loqui, quae loquor apud vos. vel ea fides sit, quod nequedum vestris viribus restitistis, nequedum auxilia a Romanis sperastis, paucis unquam apud vos mentionem feci. Postquam nec ab Romanis vobis ulla spes est, nec vestra iam aut arma vos, aut moenia satis defendunt, pacem adfero ad vos magis necessariam, quam aequam; cuius ita aliqua spes est, si eam, quemadmodum, ut victor, fert Annibal, sic vos, ut victi, audiatis: si non id, quod amittitur, in damno, (cum omnia victoris sint) sed quidquid relinquitur, pro munere habituri estis. Urbem vobis, quam ex magna iam parte dirutam, captam fere totam habet, adimit: agros relinquit, locum adsignaturus, in quo novum oppidum aedificetis; aurum, argentumque omne, publicum,*

privatumque ad se iubet deferri; conjugum, vestraque corpora, ac liberorum vestrorum servat inviolata, si inermes cum binis vestimentis velitis a Sagunto exire. Haec victor hostis imperat. Haec, quanquam sint gravia, atque acerba, fortuna vestra vobis suadet. Equidem haud despero, cum omnium potestas ei a vobis facta sit, aliquid ex his rebus remissurum. Sed haec patienda censeo potius, quam trucidari corpora vestra, rapi, trahique ante ora vestra coniuges, ac liberos belli iure sinatis. Ad haec audienda cum circumfusa paulatim multitudine, permistum Senatui esset populi concilium: repente primores, secessione facta, priusquam responsum daretur, argentum aurumque omne ex publico, privatoque in forum collatum, in ignem ad id raptim factum conicientes, eodem plerique semet ipsos praecipitaverunt.

IX.

Saguntum ab Annibale capitur.

Cum ex eo pavor, ac trepidatio totam urbem pervasisset alius insuper tumultus ex arce auditur. Turris diu quassata prociderat: perque ruinam eius cohors Poenorum impetu facto, cum signum Imperatori dedisset, nudatam stationibus, custodiisque solitis hostium esse urbem, non cunctandum in tali occasione ratus Annibal, totis viribus adgressus urbem, momento cepit: signo dato, ut omnes puberes interficerentur. Quod imperium crudele, ceterum prope necessarium cognitum in ipso eventu est. Cui enim parci potuit ex iis, qui aut inclusi cum coniugibus, ac liberis, domos super se ipsos concremaverunt: aut armati nullum ante finem pugnae, quam morientes fecerunt? Captum oppidum est cum ingenti praeda, quanquam pleraque ab dominis de industria corrupta erant,

et in caedibus vix ullum discrimen aetatis ira fecerat, et captivi militum praeda fuerant: tamen ex pretio rerum venditarum aliquantum pecuniae redactum esse constat, et multam pretiosam suppellectilem, vestemque missam Carthaginem.

X.

Ingens Romae perturbatio, nunciato Sagunti excidio.

Sub idem fere tempus et legati, qui redierant a Carthagine, Romam retulerunt, omnia hosilia esse: et Sagunti excidium nunciatum est: tantusque simul moeror patres, misericordiaeque sociorum peremptorum indigne, et pudor non latius auxilii, et ira in Carthaginenses, metusque de summa rerum cepit, velut si iam ad portas hostis esset: ut tot uno tempore motibus animi turbati trepidarent magis, quam consultarent. Nam neque hostem acriorem, bellicosioremq; secum congressum; nec rem Romanam desidem unquam fuisse, atque imbellem, Sardos, Corsosque, et Istros, atque Illyros lacesse magis, quam exercuisse Romana arma: et cum Gallis tumultuatum magis, quam belligeratum. Poenum, hostem veteranum, trium, et viginti annorum militia durissima inter Hispanas gentes semper victorem, primum Amilcare, deinde Asdrubale, nunc Annibale duce acerrimo adsvetum, recentem ab excidio opulentissimae urbis Iberum transire: trahere secum tot excitos Hispanorum populos: concituros avidas semper armorum Gallicas gentes: cum orbe terrarum bellum gerendum in Italia, ac pro moenibus Romanis esse. Nominatae iamante Consulibus provinciae erant; tum sortiri iussi. Cornelio Hispania, Sempronio Africa cum Sicilia evenit. Sex in eum annum decretae legiones, et sociorum, quantum ipsis vide-

retur, et classis, quanta parari posset. Quatuor et viginti peditum Romanorum millia sunt scripta; mille, et octingenti equites: sociorum XLIV. peditum, et IV. equitum millia. Naves CCXX. quinqueremes, celoces viginti deductae. Latum inde ad populum, vellent, iuberent populo Carthaginensi bellum indici: eiusque belli causa supplicatio per urbem habita, atque adorati Dii, ut bene, ac feliciter eveniret, quod bellum populus Romanus iussisset. Inter Consules ita copiae divisae: Sempronio datae legiones duae: ea quaterna millia erant peditum, et trecenti equites; sociorum sexdecim millia peditum: equites mille octingenti, naves longae CIX. celoces duodecim. Cum his terrestribus, maritimisque copiis T. Sempronius missus in Siciliam, ita in Africam transmissurus, si ad arcendum Italia Poenum Consul alter satis esset. Cornelio minus copiarum datum; quia L. Manlius Praetor et ipse cum haud invalido praesidio in Galliam mittebatur. Navium maxime Cornelio numerus diminutus. LX. quinqueremes datae: neque enim mari venturum, aut ea parte belli dimicaturum hostem credebant) et duae Romanae legiones cum suo iusto equitatu, et quatuordecim millibus sociorum peditum, equitibus mille ducenis. Duas legiones Romanas, et quatuordecim millia sociorum peditum, mille equites socios, DC. Romanos, Gallia provincia eodem anno versa, in Punicum bellum habuit.

XI.

Bellum denunciatur Carthaginensibus.

His ista comparatis, ut omnia iusta ante bellum fierent, legatos maiores natu, Q. Fabium, M. Livium, L. Aemilium, C. Licinium, Q. Boebium in Africam mittunt ad percontandos Carthaginenses: publicone consilio Annibal Saguntum oppugnasset? et si id, quod facturi videbantur, faterentur?

tur, ac defenderent, publico consilio factum, ut indicerent populo Carthaginensi bellum. Romani postquam Carthaginem venerunt, cum Senatus datus esset et Q. Fabius nihil ultra, quam unum, quod mandatum erat, percontatus esset: tum ex Carthaginensibus unus princeps: *Vana, Romani, inquit, et prior legatio fuit, eum Annibalem, tanquam suo consilio Saguntum oppugnantem, deposcebatis. Ceterum haec legatio verbis adhuc lenior est, re asperior. Tunc enim Annibal et insimulabatur, et deposcebatur; nunc a nobis et confessio culpae exprimitur: et, ut a confessis, res extemplo repetuntur. Ego autem non, privato, publico consilio Saguntum oppugnatum sit, quaerendum censeo: sed utrum iure, an iniuria? nostra enim haec quaestio, atque animadversio in civem nostrum est: nostro, an suo fecerit arbitrio? vobiscum una disceptatio est: licueritne per foedus fieri? itaque quoniam discerni placet, quid publico consilio, quid sua sponte Imperatores faciant: nobis vobiscum foedus est a Lutatio Consule ictum, in quo cavetur utrorumque sociis. Nihil de Saguntinis (necdum erant enim socii vestri) cautum est. At enim eo foedere, quod cum Asdrubale ictum, Saguntini excipiuntur. Adversus quod ego nihil dicturus sum, nisi quod a vobis didici. Vos enim, quod C. Lutatius Consul primo nobiscum foedus icit; quia neque auctoritate patrum, nec populi iussu ictum erat; negastis vos eo teneri. Itaque aliud de integro foedus publico consilio ictum est. Si vos non tenent vestra foedera, nisi aut ex auctoritate, aut iussu vestro icta: ne nos quidem Asdrubalis foedus: quod nobis insciis icit, obligare potuit. Proinde omittite Sagunti, atque Iberi mentionem facere: et quod diu parturit animus vester, aliquando pariat. Tum Romanus, sinu ex toga facto, hic, inquit, vobis bellum, et pacem portamus: utrum placet, sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret, utrum vellet, succlamatum est. Et cum iis iterum sinu effu-*

so bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt: et, quibus acciperent animis, iisdem se gesturos. Haec directa percontatio, ac denunciatio belli magis e dignitate populi Romani visa est, quam de foederum iure verbis disceptare, cum ante, tum maxime, Sagunto excisa Nam si verborum disceptationis res esset, quod foedus Asdrubalis cum Lutatii priore foedere commutatum est, comparandum non erat: cum in Lutatii foedere diserte additum esset, ita id ratum fore, si populus censuisset; in Asdrubalis foedere nec exceptum tale quidquam fuerit, et tot annorum silentio ita vivo eo comprobatum sit foedus, ut ne mortuo quidem auctore quidquam mutaretur. Quanquam et si priore foedere staretur, satis cautum erat Saguntinis, sociis utrorumque exceptis. Nam neque additum erat his, qui tunc essent; nec, ne qui postea adsumerentur. Et cum adsumere novos liceret socios, quis aequum censeret, aut ob nulla quinquam merita in amicitiam recipi: aut receptos in fidem non defendi? tantum ne Carthaginensium socii aut sollicitarentur ad defectionem, aut sua sponte desciscentes reciperentur.

XII.

Annibal per Alpes transitum in Italiam tentat.

Annibal Iberum, ac Pyrenaeum transgressus, disiectisque, qui Rhodani trajectum impedituri se obiecerant, Gallorum copiis, ab Druentia, campestri maxime itinere, cum bona pace ad Alpes incolentium ea loca Gallorum pervenit. Tum, quamquam fama prius, qua quidem incerta, in maius vero ferri solent, percepta res erat: tamen ex propinquo visa montium altitudo, nivesque coelo prope immistae, tecte informia imposita rupibus, pecora, iumenta que torrida frigore, homines intonsi,

et inculti, animalia, inanimaque omnia rigen:ia gelu, cetera visu, quam dictu, foediora terrorem renovavere. Erigentibus in primos agmenclivos adparuerunt imminentes tumulos insidentes montani: qui, si valles occultiores insedissent, coorti in pugnam repente, ingentem fugam, stragemque dedissent. Annibal consistere signa iubet, Gallisque ad visenda loca praemissis, postquam comperit transitum ea non esse, castra inter confragosa omnia, praeruptaque, quam extensissima potest valle, locat. Tum per eosdem Gallos haud sane multum lingua, moribusque abhorrentes, cum se immiscuissent colloquiis montanorum, edoctus, interdium tantum obsideri saltum, nocte in sua quemque dilabi tecta: luce prima subiit tumulos, ut ex aperto, atque interdium viam per angustias factururus. Die deinde, simulando aliud, quam quod parabatur, consumto, cum eodem, quo constiterat, loco castra communisset; ubi primum digressos tumulis montanos, laxatasque sensit custodias, pluribus ignibus, quam pro numero manentium, in speciem factis, impedimentisque cum equite relictis, et maxima parte peditum, ipse cum expeditis, acerrimo quoque viro, raptim angustias evadit: iisque ipsia tumulis, quos hostes tenerant, consedit. Prima deinde luce castra mota, et agmen reliquum incedere coepit. Iam montani signo dato ex castellis ad stationem solitam conveniebant: cum repente conspiciunt alios, arce occupata sua, super capita imminentes, alios via transire hostes. Utraque simul obiecta res oculis, animis immobiles parumper eos defixit. Deinde ut trepidationem in angustiis, suoque ipso tumultu Anibalis misceri agmen videre, equis maxime consternatis, quidquid adiecissent ipsi terroris, satis ad perniciem fore rati, perversis rupibus iuxta invia, ac devia, adsveti discurrunt. Tum vero simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum Poeni oppugnabantur: plusque inter ipsos, sibi cuique tendenti, ut periculo prius evaderet, quam cum hostibus, certaminis erat.

Equi maxime infestum agmen faciebant, qui et clamoribus dissonis, quos nemora etiam, percussaeque valles augebant, territi trepidabant: et icti forte, aut vulnerati adeo consternati sunt, ut stragem ingentem simul hominum, ac sarcinarum omnis generis facerent, multosque turba, cum praecipites, diruptaeque utrinque angustiae essent, in immensum altitudinis deiecit: quidam et armati in ruinas maximas, modo iumenta cum oneribus devolvebantur. Quae quanquam foeda visu erant, stetit parumper tamen Annibal, ac suos continuit, ne tumultum, ac trepidationem auferet. Deinde postquam interrumpi agmen vidit, periculumque esse, ne exutum impedimentis exercitum nequicquam incolumem traduxisset, decurrit ex superiore loco: et cum impetu ipso fudisset hostem, suis tumultum auxit. Sed is tumultus momento temporis, postquam liberata itinera fuga montanorum erant, sedatur; nec per otium modo, sed prope silentio mox omnes traducti. Castellum inde, quod caput eius regionis erat, vicosque circumiectos capit, et captivorum pecoribus per triduum exercitum aluit. Et quia nec montanis primo percussis, nec loco magnopere impediabantur, aliquantum eo triduo viae confecit.

XIII.

Annibalis laboriosa per alpes profectio.

Perventum inde ad frequentem cultoribus alium, ut inter montana, populum. Ibi non bello aperto, sed suis artibus, fraude, deinde insidiis est prope circumventus. Magno natu principes Castellorum Oratores ad Poenum veniunt: *alienis malis, utili exemplo, doctos, memorantes, amicitiam malle, quam vim experiri Poenorum: itaque obedienter imperata facturos: commeatum, itinerisque duces, et ad fidem promissorum obsides acciperet.* Annibal

nec temere credendo, nec adspernando, ne repudiati aperte hostes fierent. benigne cum respondisset: obsidibus, quos dabant, acceptis, et commeatu, quem in via ipsi detulerant, usus: nequaquam. ut inter pacatos, incomposito agmine duces eorum sequitur. Primum agmen elephantum, et equites erant: ipse post cum robore peditum circumspectans sollicitus omnia incedebat. Ubi in angustiorem viam ex parte altera subiectam iugo insuper imminente ventum est, undique ex insidiis barbari a fronte, et a tergo coorti, cominus, eminusque petunt, saxa ingentia in agmen devolvunt. Maxima ab tergo vis hominum urgebat. In eos versa peditum acies haud dubium fecit, quin, nisi firmata extrema agmina fuissent, ingens in saltu accipienda clades fuerit. Tunc quoque ad extremum periculi, ac prope perniciem ventum est. Nam, dum cunctaretur Annibal dimittere in angustias agmen, quia non, ut ipse equitibus praesidio erat, ita peditibus quidquam ab tergo auxilii reliquerat: occurrentes per obliqua montani, perrupto medio agmine, viam incedere, noxae una Annibali sine equitibus, ac impedimentis acta est. Postero die, iam segnius intercurrentibus barbaris, iunctae copiae, saltusque, haud sine clade, maiore tamen iumentorum, quam hominum pernicie, superatus. Inde montani pauciores iam, et latrociniis magis, quam belli more concursabant, modo in primum, modo in novissimum agmen, ut cuique aut locus opportunitatem daret, aut progressi, morative aliquam opportunitatem daret, aut progressi, morative aliquam occasionem fecissent. Elephantum sicut praecipites per arctas vias magna mora agebantur: ita tutum ab hostibus, quacumque incederent, quia insuetis adeundi proprius metus erat, agmen praebant. Non die in iugum Alpium perventum est. per invia pleraque, et errores, quos aut ducentium fraus, aut ubi fides iis non esset, temere in ita valles a coniectantibus iter faciebant. Biduum in iugis stativa habita: fessisque labore, ac pugnando quies data

militibus: iumentaue aliquot, quae prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis, in castra pervenere, Fessis taedio tot malorum, nivis etiam casus, occidente iam sidere Vergiliarum, ingentem terrorem adiecit. Per omnia nive oppleta cum signis prima luce motis segniter agmen incederet, pigritiaque, et desperatio in omnium vultu emerneret: praegressus signa Annibal, in promontorio quodam, unde longe, ac late prospectus erat, consistere iussis militibus Italiam ostentat, subiectosque alpinis montibus circumpadanos campos: *moeniaque eos tum transcendere non Italiae modo, sed etiam urbis Romae, cetera plana, proclivia fore: uno, aut ad summum altero praelio arcem. et caput Italiae in manu, ac potestate habituros.* Procedere inde agmen coepit: iam nihil, ne hostibus quidem, praeter parva furta per occasionem tentantibus. Ceterum iter multo, quam in adscensu fuerat, (ut pleraque alpium ab Italia sicut breviora, ita arrectiora sunt) difficilius fuit. Omnis enim ferme via praeceps, angusta, lubrica erat, ut neque sustinere se a lapsu possent; nec, siqui paululum titubassent, haerere adflicti vestigio suo: alique super alios et iumenta, et homines occiderent.

XIV.

Annibal superatis alpibus in Italiam movet.

Ventum deinde ad multo angustiores rupes, atque ita rectis saxis, ut aegre expeditus miles tentabundus, manibusque retinens virgulta, ac stirpes circa eminentes, demittere se se posset. Natura locus iam ante praeceps, recenti terrae lapsu impeditus, in miram admodum altitudinem abruptus erat. Ibi cum velut ad finem viae equites constitissent, miranti Annibali, quae res moraretur agmen, nunciatur, rupem inviam esse. Digressus deinde ipse ad locum visendum haud dubia res visa, quin per invia circa, nec trita antea, quamvis

longo ambitu, circumduceret agmen. Ea vero via insuperabilis fuit. Nam cum super veterem nivem intactam nova modicae altitudinis esset: molli, nec praealtae nivi facile pedes ingredientium insistebant. Ut vero tot hominum, iumentorumque incessu dilapsa est, per nudam infra glaciem, fluentemque tabem liquescentis navis ingrediebantur. Tetra ibi luctatio erat, ut a lubrica glacie non recipiente vestigium, et in prono citius pede se fallente; et seu manibus in adsurgendo, seu genu se adiuvissent, ipsis adminiculis prolapsi, si iterum corruissent, nec stirpes circa, radicesve, ad quas pede, aut manu quisquam eniti posset, erant, itaque in levi tantum glacie, tabidaque nive volubantur iumenta: necabantur interdum etiam, dum infimam ingredientia nivem, et prolapsa, iactandis gravius in continendo unguis penitus perfringebant: ut pleraque, velut pedica capta, haerent in durata, et alte concreta glacie. Tandem, nequidquam iumentis, atque hominibus fatigatis, castra in iugo posita, aegerrime ad id ipsum loco purgato: tantum nivis fodiendum, atque egerendum fuit. Inde ad rupem minuendam, per quam via una esse poterat, milites ducti: cum caedendum esset saxum, arboribus circa immanibus deiectis, detruncatisque struem ingentem lignorum faciunt; eamque, cum et vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non iumenta solum, sed elephantum etiam deduci possent. Quatriduum circa rupem consumtum. Iumenta prope fame absumebantur, nuda enim fere cacumina sunt: et siquid est pabuli, obruunt nives. Inferiores valles, apricos quosdam colles habent, rivosque prope silvas, etiam humano cultu digniora loca. Ibi iumenta in pabulum missa, et quies muniendo fessis hominibus data triduo. Inde ad planum descensum est, etiam locis mollioribus, et adcolarum ingeniis. Hoc maxime modo perventum est

in Italiam. Quinto mense a Carthagine nova, (ut quidam auctores sunt) quinto decimo die alpihus superatis. Quantae copiae transgresso in Italiam Annibali fuerint nequaquam inter auctores constat. Qui plurimum, centum millia peditum, viginti equitum fuisse scribunt. Qui minimum, viginti millia peditum, sex equitum.

XV.

P. Scipio castra adversus Annibalem locat.

Peropportune ad principia rerum Taurinis, proximae genti, adversus Insubres motum bellum erat. Sed armare exercitum Annibal, ut parti alteri auxilio esset, (in reficiendo maxime sentientem contracta ante mala) non poterat. Otium enim ex labore, copia ex inopia, cultus ex illuvie, tabeque, squallida, et prope efferata corpora, varie movebant. Ea P. Cornelio Consuli causa fuit, cum Pisas navibus venisset, exercitu a Manlio, Attilioque accepto tirone, et in novis ignominiiis trepido, ad Padum festinandi: ut cum hoste nondum refecto manum consereret. Sed cum Placentiam Consul venit, iam ex stativis moverat Annibal, Taurinorumque unam urbem, caput gentis eius, quia volens in amicitiam non veniebat, vi expugnarat; iunxissetque sibi non metu solum, sed etiam voluntate, Gallos accolas Padi, ni eos, circumspectantes defectio- nis tempus, subito adventus Consulis oppressisset. Et Annibal movit ex Taurinis, incertus, quae pars sequenda esset, Gallos praesentem se secuturos ratus. Jam prope in conspectu erant exercitus, convenerantque duces, sicut uterque inter se nondum satis noti, ita iam imbutus uterque quadam admiratione alterius. Nam Annibalis et apud Romanos, iam ante Sagunti excidium, celeberrimum nomen erat: et Scipionem Annibal eo ipso, quod adversus se Dux potissimum lectus esset, praestantem virum credebat. Et auxerant inter se opi-

nionem: Scipio, quod relictus in Gallia, obuius fuerat in Italiam transgresso Annibali; Annibal conatu tam audaci traiciendarum alpium, et effectum. Occupavit tamen Scipio Padum traieere.

XVI.

Utriusque exercitus ante pugnam animus.

His adhortationibus cum utrinque ad certamen accensi militum animi essent, Romani ponte Ticinum iungunt, tutandique pontis causa, castellum super imponunt. Poenus, opere occupatis hostibus, Maharbalem cum ala Numidarum, equitibus quingentis, ad depopulandos sociorum populi Romani agros mittit: Gallis parci quam maxime iubet, Principumque animos sollicitare ad defectionem. Ponte perfecto traductus Romanus exercitus in agrum Insubrium, quinque millia passuum a vico Tumulis consedit, Ibi Annibal castra habebat: revocatoque propere Maharbale, atque equitibus, cum instare certamen cerneret, nihil unquam satis dictum, praemonitumque ad cohortandos milites ratus, vocatis ad concionem certa praemia pronunciat, in quorum spem pugnarent: *Agrum se se daturum esse in Italia, Africa, Hispania, ubi quisque velit, immunem ipsi, qui accepisset, liberisque; qui pecuniam, quam agrum, maluisset, ei se argento satisfacturum; qui sociorum cives Carthaginenses fieri vellent, potestatem facturum; qui domos redire mallent, daturum se operam, ne cuius suorum popularium immutatam secum fortunam esse vellent; servis quoque dominos prosequitis libertatem promittit, binaque pro his Mancipia dominis se redditurum. Eaque, ut rata scirent fore, agnum laeva manu dextra silicem retinens, si falleret Iovem, ceterosque precatus Deos, ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset; secundum praecationem caput pecudis saxo elisit*

Tum vero omnes, velut Diis auctoribus in spem suam quisque accepit, id morae, quod nondum pugnarent, ad potienda sperata rati, praelium uno animo, et voce una deposcunt. Apud Romanos haud quaquam tanta alacritas erat, super cetera recentibus etiam territos prodigiis. Nam et lupo intraverat castra, lanatisque obviis, ipse intactus evaserat: et examen apum in arbore, praetorio imminente, consederat.

XVII.

Praelium Romanorum cum Poenis.

Quibus procuratis, Scipio cum equitatu, iaculatoribusque expeditis profectus ad castra hostium, exque propinquo copias, quantae, et cuius generis essent, speculandas, obvius fit Annibali, et ipsi cum equitibus ad exploranda circa loca progresso. Neutri alteros primo cernebant; densior deinde, incesso tot hominum, equorumque oriens pulvis, signum propinquantium hostium fuit. Constitit utrinque agmen, et praelio sese expediebant. Scipio iaculatores, et Gallos equites in fronte locat: Romanos, sociorumque, quod roboris fuit, in subsidiis. Annibal fraenatos equites in medium accipit, cornua Numidis firmat. Vix dum clamore sublato, iaculatores fugere inter subsidia ad secundam aciem: inde equitum certamen erat aliquamdiu anceps: deinde quia turbabant equos pedites intermisti, multis labentibus ex equis, aut desilientibus, ubi suos premi circumventos vidissent, iam ex parte anceps pugna erat; donec Numidae, qui in cornibus erant, circumvecti paululum, ab tergo se ostendere. Is pavor perculit Romanos: auxitque pavorem Consulis vulnus, periculumque intercurso tum primum pubescentis filii propulsatum. Hic erat iuvenis, penes quem perfecti huiusce belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Annibale, et de Poenis adpellatus. Fuga tamen ef-

fusa iaculatorum maxime fuit, quos primos Numidae invaserant. Alius confertus equitatus Consullem in medium acceptum non armis modo, sed etiam corporibus suis protegens, in castra, nusquam trepide, neque effuse cedendo, reduxit. Servati Consulis decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat. Malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, servum fama obtinuit.

XVIII.

Romani cedunt Placentiam, Poeni sequuntur.

Hoc primum cum Annibale praelium fuit: quo facile adparuit, et equitatu meliorem Poenum esse, et ob id campos patentes, quales sunt inter Padum, alpesque, bello gerendo Romanis aptos non esse. Itaque proxima nocte, iussis militibus vasa silentio colligere, castra ab Ticino mota, festinatunque ad Padum est: ut ratibus, quibus iunxerat flumen, nondum resolutis, sine tumultu, atque insectatione hostis, copias traiceret. Prius, Placentiam pervenere, quam satis sciret Annibal ab Ticino profectos; tamen aliquot moratorum in citiore ripa segniter ratem solventes cepit; transire non potuit pontem, quod extrema resoluta erant, tota rate in secundam aquam labente. Coelius auctor est, Magonem cum equitatu, et Hispanis peditibus flumen extemplo transnatasse; ipsum Annibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse; elephantis in ordinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis. Ea periti amnis eius vix fidem fecerint. Nam neque equites armis, equisque salvis tantam vim fluminis superasse verisimile est; ut iam Hispanos omnes inflati transvexerint utres, et multorum dierum circuitu Padi vada petenda fuerant, qua exercitus gravis impedimentis traduci posset. Po-

tiores apud me auctores sunt, qui biduo vix locum rate iungendo flumini inventum tradunt; ea cum Magone equites Hispanorum expeditos praemissos. Dum Annibal, citra flumen legationibus Gallorum audiendis moratus, traicit gravius peditum agmen: interim Mago, equitesque ab transitu fluminis diei unius itinere Placentiam ad hostes contendunt. Annibal paucis post diebus sex millia Placentia castra communivit, et postero die in conspectu hostium acie directa, potestatem pugnae fecit.

XIX.

Uterque exercitus ad Trebiam fluvium movet.

Insequenti nocte caedes in castris Romanis, tumultu tamen, quam re maior, ab auxiliariis Gallis facta est. Ad duo millia peditum, et ducenti equites, vigilibus ad portas trucidatis, ad Annibalem transfugiunt: quos Poenus benigne allocutus, spe ingentium donorum accensos, in civitates quemque suas, ad sollicitandos popularium animos dimisit. Scipio caedem eam signum defectionis omnium Gallorum esse ratus, contractosque eo scelere, velut iniecta rabie ad arma ituros; quanquam gravis adhuc vulnere erat, tamen quarta vigilia noctis insequentis tacito agmine profectus ad Trebiam fluvium, in loca altiora, collesque impeditiores equiti, castra movet. Minus, quam ad Ticinum fefellit. Missisque Annibal primum Numidis, deinde omni equitatu, turbasset utique novissimum agmen, ni aviditate praedae in vacua Romana castra Numidae divertissent. Ibi dum perscrutantes omnia loca castrorum, nullo satis digno morae pretio tempus terunt, emissus hostis de manibus est. Et cum iam transgressos Trebiam Romanos, metantesque castra conspexissent, paucos moratorum occiderunt citra flumen interceptos. Scipio

nec vexationem vulneris in via iactantis ultra patiens, et collegam (iam enim revocatum ex Sicilia audierat) ratus exspectandum, locum, qui prope flumen tutissimus stativis est visus, delectum communivit. Nec procul inde Annibal cum consedisset, quantum victoria equestri elatus, tantum anxius inopia, quae per hostium agros euntem, nusquam praeparatis commeatibus, maior in dies excipiebat: ad Clastidium vicum, quo magnum frumenti numerum congesserant Romani, mittit. Ibi cum vim pararent, spes facta proditoris, nec sane magno pretio, numis aureis quadringentis datis, P. Brundusino praefecto praesidii corrupto, traditur Annibali Clastidium: id horreum fuit Poenis sedentibus ad Trebiam. In captivos extradito praesidio, ut fama clementiae in principio rerum colligeretur, nihil saevitum est.

XX.

Annibal, et coniuncti Consules Sempronius, et Scipio suam aciem utrinque instruunt.

Annibal, cum quid optimum foret hosti, cerneret: vix ullam spem habebat, temere, atque improvide quidquam Consules acturos. Sed cum alterius ingenium fama prius, deinde re cognitum, percitum, ac ferox sciret esse, farociusque factum ex prospero cum praedatoribus suis certamine crederet: adesse gerendae rei fortunam haud diffidebat. Cuius ne quod praetermitteret tempus, sollicitus, et intentus erat, tum tiro hostium esset miles: dum meliorem ex Ducibus inutilem vulnus faceret: dum Gallorum animi vigerent: quorum ingentem: multitudinem scibat segnius secuturam, quanto longius ab domo traheretur. Cum ob haec, aliaque speraret propinquum certamen, et facere, si cessaretur, cuperet, speculatoresque Galli ad ea exploranda, quae

vellet, tutiores, quia in utrisque castris militabant, paratos pugnae esse Romanos, retulissent, locum insidiis circumspectare Poenus coepit. Erat in medio rivus praeallis utrinque clausus ripis, et circa ob-situs palustribus herbis, et, quibus inculta ferme vestiuntur, virgultis, vepribusque. Quem ubi ad aquites quoque tegendos satis latebrosam locum circumvectus ipse oculis perlustravit: *hic erit locus*, Magoni fratri ait, *quem teneas. Delige centenos viros ex omni peditum, atque equitum, cum quibus ad me vigilia prima venias; nunc corpora curare tempus est.* Ita praeconium missum. Mox cum delectus Mago aderat. *Robora virorum cerno* inquit Annibal: *sed ut et numero etiam, non animis modo valeatis, singulis vobis novenos ex turmis, manipulisque vestri similes eligite: Mago locum monstrabit, quem insideatis; hostem coecum ad has belli artes habebitis.* Ita mille equitibus Magoni, mille peditibus dimissis, Annibal prima luce Numidas equites, transgressos Trebiam flumen, obequitare iubet hostium portis, iaculandoque in stationes elicere ad pugnam hostem: iniecto deinde certamine, cedendo sensim citra flumen pertrahere. Haec mandata Numidis. Ceteris Ducibus peditum, equitumque praeceptum, ut prandere omnes iuberent; armatos deinde, instratisque equis signum exspectare. Sempronius ad tumultum Numidarum, primum omnem equitatum, ferox ea parte virum, deinde sex millia peditum, postremo omnes copias ad destinatum locum iam ante consilio, avidus certaminis eduxit. Erat forte brumae tempus, et nivalis dies in locis, Alpibus, Apenninoque interiectis, propinquitate etiam fluminum, ac paludum praegelidis. Ad haec raptim eductis hominibus, atque equis, non capto ante cibo. non ope ulla ad arcendum frigus adhibita, nihil caloris inerat: et quicquid aurae fluminis adpropinquabat, adflabat acrior frigoris vis. Ut vero refugientes Numidas insequentes aquam ingressi sunt: (et erat pectoribus tenuis aucta nocturno imbri) tum utique egressis rigere omnibus corpora, ut vix armorum

tenendorum potentia esset ; et simul procedente iam die fame etiam deficere. Annibalis interim miles, ignibus ante tentoria factis, oleoque per manipulos, ut molirent artus, misso, et cibo per otium capto, ubi transgressos flumen nunciatum est hostes, alacer animis, corporibusque arma capit, atque in aciem procedit. Baleares locat ante signa: levemque armaturam, octo ferme millia hominum, deinde graviores armis peditum, quod virium, quod roboris erat: in cornibus circumfundit decem millia equitum, et ab cornibus in utramque partem divisos elephantos statuit. Consul effusus sequentes equites, cum ab resistentibus subito Numidis incauti exciperentur, signo receptui dato, revocatos circumdedit peditibus. Duo de viginti millia Romanorum erant, socium, nominisque Latini XX. auxilia praeterea Caenomanorum. Ea sola in fide manserat Gallica gens.

XXI.

Prima Romanorum clades ad Ticinum.

His copiis concursus est. Praelium a Balearibus ortum est. Quibus cum maiore robore legiones obisterent, deductae prope in cornua leves armaturae sunt; quae res effecit: ut equitatus Romanus extemplo urgeretur. Nam cum vix iam per se resisterent decem millibus equitum quatuor millia, et plerique fessi, integris Poenis, obruti sunt insuper velut nube iaculorum a Balearibus coniecta: ad hoc elephanti eminentes ab extremis cornibus, equis maxime non visu modo, sed odore insolito territis, fugam late faciebant. Pedestris pugna par animis magnis, quam viribus erat; quas recentes Poenus paulo ante curatis corporibus in praelium adtulerat, contra ieiuna, fessaque corpora Romanis, et rigentia gelu torpebant. Restitissent tamen animis, si cum

pedite solum foret pugnatum: sed et Baleares pulso equite iaculabantur in latera, et elephanti iam in mediam peditum aciem sese tulerant: et Mago, Numidaeque, simul latebras eorum improvida praeterlata h. e. praetergressa acies est, exorti a tergo ingentem tumultum, ac terrorem fecere. Tamen in tot circumstantibus malis mansit aliquamdiu immota acies, maxime, praeter spem omnium, adversus elephantos. Eos pedites, ad id ipsum locati, verutis coniectis, et avertere, et insecuti aversos sub caudis, qua maxime molli cute vulnera accipiunt, fodiebant. Trepidantes, propeque iam in suos consternatos, media acie in extremam, ad sinistrum cornu, adversus Gallos auxiliares agi iussit Annibal. Ex templo haud dubiam fecere fugam. Additus quoque novus terror Romanis, ut fusa auxilia sua viderunt, Itaque cum iam in orbem utriusque pugnarent, decem millia ferme hominum, cum alia evadere nequissent, media Afrorum acie, quae Gallicis auxiliis firmata erat, cum ingenti caede hostium perrupere. Et cum neque in castra reditus esset, flumine interclusis: neque prae imbri satis decernere possent, qua suis ope ferrent, Placentiam recto itinere perrexere. Plures deinde in omnes partes eruptiones factae. Et qui flumen petiere, aut gurgitibus absumti sunt, aut inter cunctationem ingrediendi ab hostibus oppressi; qui passim per agros fuga sparsi erant, vestigia sequentes cedentis agminis, Placentiam contendere. Aliis timor hostium audaciam ingrediendi flumen fecit, transgressique in castra pervenere. Imber nive mistus, et intoleranda vis frigoris, et homines multos, et iumenta, et elephantos prope omnes absumsit. Finis insequendi hostis Poenis flumen Trebia fuit, et ita torpentes gelu in castra rediere, ut vix laetitiam victoriae sentirent. Itaque nocte insequenti, cum praesidium Romanorum castrorum, et quod reliquum ex magna parte militum erat, ratibus Trebiam traicerent: aut nihil scire Poeni, obstrepente pluvia, aut quia iam moveri prae lassitudine nequiebant, ac vulneribus, sentire sese dissimulave-

runt: quietisque Poenis, tacito agmine ab Scipione Consule exercitus Placentiam est perductus: inde Pado traiectus Cremonam, ne duorum exercituum hibernis una colonia premeretur. Romam tantus terror ex hac clade perlatus est, ut iam ad urbem Romanam crederent infestis signis hostem venturum, nec quidquam spei, aut auxilii esse, quo portis, moenibusque vim arcerent. *Uno Consule ad Ticinum victo, altero ex Sicilia revocato, duobus Consulibus, duobus consularibus exercitibus victis, quos alios Duces, quas alias legiones esse, quae accesserentur?* Ita territis Sempronius Consul advenit: ingenti periculi per effusos passim ad praedandum hostium equites, audacia magis, quam consilio, aut spe fallendi, resistendive, si non falleret, transgressus. Id quod unum maxime in praesentia desiderabatur, Comitibus Consularibus habitis, in hiberna rediit. Creati Consules: Cn. Servilius, et C. Flaminius.

XXII.

Varia funesta Romanis omina.

Per idem tempus Cn. Servilius Romae idibus Martiis Magistratum inijt. Ibi cum de Republica retulisset, redintegrata in C. Flaminium invidia est. *Duos se Consules creasse, unum habere. Quod enim illi iustum imperium, quod auspiciis esse Magistratus? id a domo, publicis, privatisque penetibus, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre; nec privatam auspiciis sequi, nec sine auspiciis profectum, in externo ea solo nova atque integra concipere posse.* Augebant metum prodigia ex pluribus simul locis nuntiata: in Sicilia militibus aliquot spicula; in Sardinia autem in muro circumeunti vigiliis equiti Scipionem, quem manu tenuerat, arsisse; et littora crebris ignibus fulsisse; et scuta duo sanguinem sudasse; et milites quosdam ictos fulminibus; et solis orbem mi-

nui visum; et Praeneste ardentis lapides coelo cecidisse; et Arpis palmas in coelo visas, pugnantemque cum luna solem, te Capenae duas interdium lunas ortas et aquas Caerete sanguine mistas fluxisse, fontemque ipsum Herculis cruentis manasse sparsum maculis; et in Antii agro metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse; et Faleriis coelum finde visum velut in magno hiatus; quaque patuerit, ingens lumen effulsisse; sortes sua sponte attenuatas, unamque excidisse ita scriptam: *Mavors telum suum concutit.* Et per idem tempus Romae signum Martis Appia via ad simulacra luporum sudasse; et Capuae speciem coeli ardentis fuisse; lunaeque inter imbrem candentis. Inde minoribus etiam dictu prodigiis fides habita: capras lanatas quibusdam factas, et gallinam in marem, gallum in feminam sese vertisse.

XXIII.

Romae prodigia procurantur.

His, sicut erant nunciata, expositis, auctoribusque in curiam introductis, Consul de religione Patres consuluit. Decretum: ut ea prodigia partim maioribus hostiis, partim lactentibus procurantur; et ut supplicatio per triduum ad omnia pulvinaria haberetur. Cetera, cum decemviri libros inspexissent, ut ita fierent, quemadmodum cordi esse Divi carminibus praefarentur, id decemvirorum monitu decretum est: Iovi primum donum, fulmen aureum pondus quinquaginta, fieret, Iunoni, Minervaeque ex argento daretur; et Iunoni Reginae in Aventino, Iunonique Sospita. Lanuvii maioribus hostiis sacrificaretur; matronaeque pecunia collata, quantum conferre cuique commodum esset, donum Iunoni Reginae in Aventinum ferrent, lectisterniumque fieret; quin ut Libertinae et ipsae, unde Feroniae donum daretur, pecuniam pro facultatibus suis

conferrent. Haec ubi facta, decemviri Ardeae in foro maioribus hostiis sacrificarunt. Postremo ex libris Decembri iam mense ad aedem Saturni Romae immolatum est, lectisterniumque imperatum: (et eum lectum Senatores straverunt) et convivium publicum, ac per urbem Saturnalia die, ac nocte clamatum, populusque eum diem festum habere, ac servare in perpetuum iussus.

XXIV.

Annibal in Hetruriam evadit.

Dum Consul placandis Romae Diis, habendoque delectui dat operam, Annibal profectus ex hibernis, quia iam Flaminium Consulem Arretium pervenisse fama erat: cum aliud longius, ceterum commodius, ostenderetur iter, propiorem viam per paludem petit, qua fluvius Arnus per eos dies solito magis inundaverat. Hispanos, et Afros, et omne, quod veterani erat robur exercitus, admistis ipsorum impedimentis, nec ubi consistere coactis necessaria ad usus deessent^t primos ire iussit, sequi Gallos, ut id agminis medium esset, novissimos ire equites. Magonem inde cum expeditis Numidis cogere agmen: maxime Gallos, si taedio laboris, longaeque viae (ut est mollis ad talia gens) dilaberentur, aut subsisterent, cohibentem. Primi, qua modo praeirent duces, per praealtas fluvii, ac profundas voragines hausti pene limo, immergentesque se, tamen signa sequebantur. Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere ex voraginibus poterant: aut corpora animis, aut animos spe sustinebant; alii fessa aegre trahentes membra: alii, ubi semel victis taedio animis procubuissent, inter jumenta, et ipsa jacentia passim morientes. Maximeque omnium vigiliae conficiebant, per quadriduum jam, et tres noctes toleratae. Cum, omnia obtinentibus aquis, nihil, ubi in sicco fessa sternerent corpora, inveniri posset, cumulatis in

aquas sarcinis, insuper incumbabant. Jumentorum itinere toto prostratorum passim acervi, tantum, quod exstaret aqua, quaerentibus ad quietem, parvi temporis necessarium cubile dabant, Ipse Annibal aeger oculis, ex verna primum intemperie variante calores, frigoraque, elephanto, qui unus superfuera, quod altius ab aqua exstaret, vectus: vigiliis tamen, et nocturno humore, palustrique coelo gravante caput; et quia medendi nec locus, nec tempus erat, altero oculo capitur. Multis hominibus, jumentisque foede amissis, cum tandem de paludibus emersisset, ubi primum in sicco potuit, castra locat: certumque per praemissos exploratores habuit, exercitum Romanum circa Arretii moenia esse. Consul deinde consilia, atque animum, et situm regionum, itineraque, et copias atque com meatus expediendos, et cetera, quae cognoscenda in re erant, summa omnia cum cura inquirendo exsequebatur. Regio erat, inprimis Italiae fertilis, Etrusci campi, qui Faesulas inter, Arretiumque iacent, frumenti, ac pecoris, et omnium copia rerum opulenti.

XXV.

Flaminius Consul per ferociam, et impietatem, sinistris ominibus, adversus Annibalem exercitum movet.

Consul ferox ab consulatu priore, et non modo legum, ac patrum maiestatis, sed ne Deorum quidem satis metuens erat. Hanc insitam ingenio eius temeritatem fortuna prospero civilibus, bellicisque rebus successu aluerat. Itaque satis adparebat, nec Deos, nec homines consulentem, ferociter omnia, ac praepropere acturum: quoque pronior esset in vitia sua, agitare eum, atque irritare Poenus parat: et laeva relicto hoste, Faerulas petens, Etruriae agros praedatum profectus, quantam ma-

ximam vastitatem potest, caedibus, incendiisque Consuli procul ostendit. Flaminius, qui ne quieto quidem hoste, ipse quieturus erat: tum vero, posteaquam res sociorum ante oculos prope suos ferri, agique vidit, suum id dedecus ratus, per mediam iam Italiam vagari Poenum, atque, obsistente nullo, ad ipsa Romana moenia ire oppugnanda: ceteris omnibus in concilio salutaria magis, quam speciosa svadentibus, collegam exspectandum, ut conjunctis exercitibus, communi animo, consilioque rem gererent; interim equitatu, auxiliisque levium armorum ab effusa praedandi licentia hostem cohibendum: iratus, se ex consilio proripuit, signumque simul itineris, pugnaeque proposuit. *Quinimo Arreti ante moenia sedeamus, inquit: hic enim patria, et penates sunt. Annibal emissus e manibus perpopuletur Italiam, vastandoque, et urendo omnia, ad Romana moenia perveniat; nec ante nos hinc moverimus, quam, sicut olim, Camillum ab Veis, C. Flaminiū ab Arretio Patres acciverint.* Haec simul increpans, cum ocus signa convelli iuberet, et ipse in equum insilisset, equus repente corruit, Consulemque lapsum super caput effudit. Territis omnibus, qui circa erant, velut foedo, omine incipiendae rei, insuper nunciatur, signum omni vi moliente signifero convelli nequire. Conversus ad nuncium, *num literas quoque, inquit, ab Senatu adfers, quae rem gerere vetent? abi, nuncia, signum effodiant, si ad convellendum manus prae metu obtorpuerint.* Incedere inde agmen coepit: primoribus, super quam quod discesserant a concilio, territis etiam duplici prodigio: milite in vulgus laeto ferocia ducis cum spem magis ipsam, quam causam spei, intueretur.

XXVI.

Poeni Romanos undique clausos, et imparatos invadunt.

Annibal, quod agri est inter Cortonam urbem, Trasymenumque lacum, omni clade belli pervastat, quo magis iram hosti ad vindicandas sociorum iniurias acuat. Et iam pervenerunt ad loca insidiis nata, ubi maxime montes Cortonenses Trasymenus subit. Via tantum interest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatium: deinde paulo latior patescit campus; inde colles adsurgunt. Ibi castra in aperto locat, ubi ipse cum Afris modo, Hispanisque consideret. Baleares, ceteramque levem armaturam post montes circumducit: equites ad ipsas fauces saltus, tumultibus apte tegentibus, locat: ut ubi intrassent Romani, obiecto equitatu clausa omnia lacu, ac montibus essent. Flaminius cum pridie solis occasu ad lacum pervenisset, inexplorato postero die, vixdum satis certa luce angustiis superatis, postquam in patentiorem campum pandi agmen coepit, id tantum hostium, quod ex adverso erat, adspexit: a tergo, ac super caput detectae insidiae. Poenus ubi id, quod petierat, clausum lacu, montibusque, et circumfusum suis copiis habuit hostem, signum omnibus dat invadendi. Qui ubi, qua cuique proximum fuit, decurrere, eo magis Romanis subita, atque improvisa res fuit, quod orta ex lacu nebula, campo. quam montibus, densior sederat, agminaque hostium ex pluribus vallibus ipsa inter se satis conspecta, eoque magis pariter decurrerunt. Romanus, clamore prius undique orto, quam satis cerneret, se circumventum esse sensit: et ante in frontem, lateraque pugnari coeptum est, quam satis instrueretur acies, aut expediri arma, stringique gladii possent. Consul, percussis omnibus, ipse satis, ut in re trepida, impavidus, turbatos

ordines, vertentesque ee quoque ad dissonos clamores, instruit, ut tempus, locusque patitur: et quacunq; audire, audiriq; potest, adhortatur, ac stare, et pugnare iubet. *Nec enim inde votis, aut imploratione Deum, sed vi, ac virtute evadendum esse; per medias acies ferro viam fieri; et quo timoris minus sit, eo minus ferme periculi esse.* Ceterum prae strepitu, ac tumultu, nec consilium, nec imperium accipi poterat: tantumque aberat, ut sua signa atque ordinem, et locum nosceret miles, ut vix ad arma capienda, aptandaque pugnae competeret animus: opprimerenturque quidam onerati magis his, quam tecti. Et erat in tanta caligine maior usus aurium, quam oculorum. Ad gemitus vulnerum, ictusque corporum, aut armorum, et mistos strepentium, paventiumque clamores, circumferebant ora, oculosque. Alii fugientes pugnantium globo illati haerebant: alios redeuntes in pugnam avertebat fugientium agmen. Deinde ubi in omnes partes nequicquam impetus facti, et ab lateribus montes, ac lacus; a fronte, et tergo hostium acies claudebat, adparuitque nullam, nisi in dextera, ferroque, salutis spem esse: tum sibi unusquisque dux, adhortatorque factus ad rem gerendam, et nova de integro pugna exorta est; non illa ordinata per principes, hastatosque, ac triarios: nec ut pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies: nec ut in sua legione miles, aut cohorte, aut manipulo esset. Sors conglobabat, et animus suus cuique ante, aut post pugnandi ordinem dabat: tantusque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum terrae motum, qui multarum urbium Italiae magnas partes prostravit, avertitque cursu rapido amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.

XXVII.

Flaminio Consule, lancea transfixo, Romani in fugam vertuntur.

Tres ferme horas pugnatum est, et ubique atrociter. Circa Consulem tamen acrior, infestiorque pugna erat. Eum et robora virorum sequebantur: et ipse, quacunq; in parte premi, ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem: insignisque armis, et hostem summa vi petebat, et tuebatur suos cives: donec Insuber eques (Ducario nomen erat) faciem noscitans: *Consul, inquit, hic est, populareis suis, qui legiones nostras caecidit, agrosque et urbem est depopulatus. Jam ego hanc victimam manibus peremptorum foede civium dabo.* Subditisque calcaribus equo, per confertissimam hostium turbam impetum facit: obtruncatoque prius armigero, qui se infesto venienti obviam obiecerat, Consulem lancea transfixit. Spoliare cupientem triarii obiectis clipeis arcuere. Magnae partis fuga inde primum coepit: et iam nec lacus, nec montes obstabant pavori; per omnia arcta, praeruptaque, velut coeci evadunt, armaque, et viri super alium alii praecipitantur. Pars magna, ubi locus fugae deest, per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus, humerisque exstare possunt, se se immergunt. Fuere, quos inconsultus pavor nando etiam capessere fugam impulerit, quae ubi immensa, ac sine spe erat, aut deficientibus animis, hauriebantur gurgitibus, aut, ubi nequicquam festinaverant, retro aegerrime terram repetebant, atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur. Sex millia ferme primi agminis, per adversos hostes, eruptione impigre facta ignari omnium, quae post se agerentur, ex saltu evasere. Et cum in tumulto quodam constitissent, clamorem modo, ac sonum armorum audientes, quae fortuna pugnae esset, neque scire, nec prospicere prae caligine poterant. Inclinata ad iniqua re, cum cale-

scente sole dispulsa nebula aperuisset diem, tum liquida iam luce montes, campique perditas res, stratamque ostendere foede Romanam aciem. Itaque ne in conspectos procul immiteretur eques, sublatis raptim signis, quam citatissimo poterant agmine se se abriperunt. Postero die, cum super cetera, extrema fames etiam instaret: fidem dante Maharbale, qui cum omnibus equestribus copiis nocte consecutus erat, si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum, se se dediderunt. Quae Punica religione servata fides ab Annibale est, atque in vincula omnes coniecti. Haec est nobilis ad Trasymenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim millia Romanorum in acie caesa sunt: decem millia sparsa, fuga per omnem Etruriam, diversis itineribus Romam petiere. Mille, et quingenti hostium in acie, multi postea utrinque ex vulneribus periire. Multiplex caedes utrinque facta traditur ab aliis. Ego, praeterquam quod nihil haustum ex vano velim, quo nimis inclinant ferme scribentium animi: Fabium aequalem temporibus huius belli potissimum auctorem habui. Annibal, captivorum, qui latini nominis essent, sine pretio dimissis, Romanis in vincula datis, segregata ex hostium coacervatorum cumulis corpora suorum cum sepeliri iussisset, Flamini quoque corpus, funeris causa magna cura inquisitum, non invenit.

XXVIII.

Magnus terror Romae audita suorum clade.

Romae ad primum nuncium cladis eius, cum ingenti terrore, ac tumultu concursus in forum populi est factus. Matronae vagae per vias, quae recens clades adlata, quaeve fortuna exercitus esset, obvios percontantur. Et cum frequentis concionis modo, turba in comitium, et curiam versa, Magistratus vocaret, tandem haud multo ante solis oc-

casum M. Pomponius Praetor: *Pugna*, inquit, *magna victi sumus*; et quanquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referant: *Consulem cum magna parte copiarum caesum; superesse paucos, aut fuga passim per Hetruriam sparsos, aut captos ab hoste.* Quot casus exercitus victi fuerant, tot in curas dispartiti eorum animi erant, quorum propingui sub C. Flamínio Consule meruerant, ignorantium, quae cuiusque suorum fortuna esset. Nec quisquam satis certum habet, quid aut speret, aut timeat. Postero, ac deinceps aliquot diebus ad portas maior prope mulierum, quam virorum multitudo stetit, aut suorum aliquem, nuncios de his opperiens. Circumfundebantur obviis sciscitantes: neque avelli utique a notis, prius quam ordine omnia inquisissent, poterant. Inde varios vultus digredientium ab nunciis cerneret, ut cuique aut laeta, aut tristitia nunciabatur, gratulantesque, aut consolantes redeuntibus domos circumfusos. Feminarum praecipue et gaudia insignia erant, et luctus. Unam in ipsa porta, sospite filio repente oblato, in conspectu eius exspirasse ferunt. Alteram, cui mors filii falso nunciata erat, moestam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii, gaudio nimio exanimatam. Senatam Praetores per dies aliquot ab ortu usque ad occidentem solem in curia retinent, consultantes, quonam duce, aut quibus copiis resisti victoribus Poenis posset.

XXIX.

Q. Fabius Maximus Dictator creatur, cuius non vim, sed prudentiam Annibal timet.

Itaque ad remedium iam diu desideratum, nec adhibitum recurritur, atque Q. Fabius Maximus Dictator a populo creatur, Equitum Magister M. Minutius Ruffus. Dictator exercitu Consulis acce-

pto a Fulvio Flacco legato, per agrum Sabinum Tibur, quo diem ad conveniendum edixerat novis militibus, venit: inde Praeneste transversis tramitibus in viam latinam est regressus: unde, itineribus summa cum cura exploratis, ad hostem ducit: nullo loco, nisi quantum necessitas cogeret, fortunae se commissurus. Quo primum die haud procul Arpis in conspectu hostium posuit castra, nulla mora facta, quin Poenos educeret in aciem, copiamque pugnandi faceret. Sed ubi quieta omnia apud hostes, nec castra ullo tumultu mota videt: increpans quidem victos tandem Martios Romanorum animos, debellatumque, et concessum eis pro palam de virtute, ac gloria esse, in castra rediit. Ceterum tacita cura animum incensus, quod cum duce haud quaquam Flaminio, Sempronioque simili, futura sibi res esset: ac tum demum edocti malis Romani, parem Annibali ducem quaesiissent: et prudentiam quidem, non vim Dictatoris extemplo timuit, constantiamque eius haud dum expertus, agitare, ac tentare animum, movendo crebro castra, populandoque in oculis eius sociorum agros coepit: modo citato agmine e conspectu abibat, modo repente in aliquo flexu viae, si excipere digressum in aequum posset, occultus subsistebat. Fabius per loca alta agmen ducebat, modico ab hoste intervallo, ut neque omitteret eum, neque congrederetur. Castris, nisi quantum usus necessario cogeret, tenebatur miles. Pabulum, et lingua nec pauci perebant, nec passim; equitum, levisque armaturae statio composita, instructaque in subitos tumultus, et suo militi tuta omnia, et infesta effusis hostium populatoribus praebebat. Neque universo periculo summa rerum committebatur: et parva momenta levium certaminum ex tuto coeptorum, finitimo receptu, adsvefaciebat territum pristinis cladibus militem, minus iam tandem aut virtutis, aut fortunae poenitere suae. Sed non Annibalem magis infestum tam sanis consiliis habebat, quam Magistrum Equitum, qui nihil ali-

ud, quam, quod non imperabat, morae ad rem publicam praecipitandam habebat. Ferox, rapidusque in consiliis, ac lingua immodicus, primo inter paucos, dein propalam in vulgus pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat; premendorumque superiorum arte, quae pessima ars nimis prosperis multorum successibus crevit, se se extollebat.

XXX.

Annibalis per Italiam praedationes, et populationes.

Annibal ex Arpinis in Samnium transit. Beneventanum depopulatur agrum. Telesiam urbem capit: irritat etiam de industria ducem, si forte accensum tot indignitatibus, et cladibus sociorum trahere ad aequum certamen possit. Inter multitudinem sociorum Italici generis, qui ad Trasymenum capti ab Annibale, dimissique fuerant, tres Campani equites erant, multis iam tum illecti donis, promissisque Annibalis ad conciliandos popularium animos. Hi nuntiantes, si in Campaniam exercitum admovisset, Capuae potiendae copiam fore: cum res maior, quam auctores, esset, dubium Annibalem, alternisque fidentem, ac diffidentem, tamen ut Campanos ex Samnio peteret, moverunt. Monitos, ut etiam, atque etiam promissa rebus confirmarent, iussosque cum popularibus, et aliquibus Principum redire ad se, dimisit. Ipse imperat duci, ut se agrum Casinatem ducat, edoctus a peritis regionum, si eum saltum occupasset, exitum Romano ad opem ferendam sociis interclusurum. Sed Punicum abhorrens ablatino nomen, Casilium pro Casino ducem accipere fecit, aversusque ab itinere per Alifanum, Calatinumque; et Calenum agrum in campum Stellatam descendit. Ubi cum montibus, fluminibusque clausam regionem circumspexisset, vocatum ducem percontatur, ubi terrarum esset. Cum is Casilini eo die man-

surum eum dixisset: tum demum cognitus est error, et Casinum longe inde alia regione esse: virgisque caeso duce, et ad reliquorum terrorem in crucem sublato, castris communitis, Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum praedatum dimisit. Usque ad aquas Sinuessanas populatio ea pervenit. Ingentem cladem, fugam, terroremque latius Numidae fecerunt. Nec tamen is terror, cum omnia bello flagrarent, fide socios dimovit; videlicet quia iusto, et moderato regebantur imperio: nec abnucebant, quod unum vinculum fidei est, melioribus parere.

XXXI.

Fabius Dictator cunctando rem utcumque restituit.

Eo forte die Minutius se coniunxerat Fabio, missus ad firmandum praesidio saltum, qui super Tarracinam in arctas coactus fauces imminet mari, ne, immunito Appiae limite, Poenus pervenire in agrum Romanum posset. Coniunctis exercitibus Dictator, ac Magister Equitum castra in viam deferunt, qua Annibal ducturns erat. Duo inde millia hostes aberant. Postero die Poeni, quod viae inter hinc castra erat, agmine complevere. Cum Romani sub ipso constitissent vallo, haud dubie aequiore loco, successit tamen Poenus cum expeditis equitibus, atque ad lacessendum hostem carptim, et procursando, recipiendoque sese, pugnavere. Restitit suo loco Romana acies. Lenta pugna, et ex Dictatoris magis, quam Annibalis fuit voluntate: CC. ab Romanis, DCCC. hostium cecidere. Inclusus inde videri Annibal, et ad Casilinum obsessus: cum Capua, et Sannium, et tantum a tergo divitium sociorum Romanis conmeatus subveheret; Poenus contra intra Formiana saxa, ac Linterni arenas, stagnaque perhorrida situ, hibernaturus esset. Nec Annibalem fefellit, suis se artibus peti. Itaque cum per Casilinum evadere non posset, petendique

montes, et iugum Calliculae superandum esset: nec ubi Romanus inclusum vallibus agmen adgrederetur, ludibrium oculorum, specie terribile ad frustrandum hostem commentus, principio noctis furtim succedere ad montes statuit. Fallacis consilii talis adparatus fuit. Faces undique ex agris collectae, fascisque virgarum, atque avida sarmentamenta praeligantur cornibus boum: quos domitos, indomitosque multos inter ceteram agrestem praedam agebat, ad duo millia ferme boum effecta; Asdrubalique negotium datum, ut primis tenebris noctis id armentum accensis cornibus ad montes ageret, maxime, si posset, saltu ab hoste incesso. Primis tenebris silentio mota castra, boves aliquanto ante signa acti. Ubi ad radices montium, viasque angustas ventum est, signum extemplo datur, ut accensis cornibus armenta in adversos concitentur montes. Et metus ipse relucentis flammae ex capite, calorque iam ad vivum, ad inaque cornuum adveniens, velut stimulos furore agebat boves. Quo repente discursu, haud secus, quam silvis, montibusque accensis, omnia circum virgulta ardere, capitumque inquietatio excitans flammam, hominum passim discurrentium speciem praebebat. Qui ad transitus saltus insidendos locati erant, ubi in summis montibus, ac super se quosdam ignes conspexerunt, circumventos se esse rati, praesidio excessere: qua ingens emicabat flamma, velut tutissimum iter petentes summa montium iuga. Tum in quosdam boves palantes a suis gregibus inciderunt; et primo, cum procul cernerent, veluti flammam spirantium, miraculo adtoniti constiterunt. Deinde ut humana adparuit fraus, tum vero insidias rati esse, cum multo maximoque strepitu concitant se in fugam, levique armaturae hostium incurrere. Ceterum nox aequato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit.

XXXII.

Terentius Varro, et L. Aemilius Paulus creati Consules, disparis longe ingenii viri.

Delectu perfecto, Consules paucos morati dies, dum socii ab nomine latino venirent. Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, iureiurando a tribunis militum adacti, iussu Consulum conventuros, neque iniussu abituros. Nam ad eam diem nihil praeter sacramentum fuerat: et ubi ad decuriatum, aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites, coniurabant; sese fugae, atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis ferendi, aut civis servandi causa. Id ex voluntario inter ipsos foedere a tribunis ad legitimam iurisiurandi adactionem translatum. Conciones, priusquam ab urbe signa moverentur, Consulis Varronis multae, ac feroces fuere, denuntiantes bellum accessitum in Italiam ab nobilibus, mansurumque in visceribus reipublicae, si plures Fabios Imperatores haberet, se, quo die hostem vidisset, profligaturum: Collegae eius Pauli una, pridie quam ex urbe profisceretur, concio fuit, verior, quam gratior populo, qua nihil inclementer in Varronem dictum, nisi id modo: *mirari se, quomodo quis dux: priusquam aut suum, aut hostium exercitum, locorum situm, naturam regionum nosset, iam nunc locatus in urbe sciret quae sibi agenda armato forent: et diem quoque praedicere posset, qua cum hoste signis collatis esset dimicaturum. Se, quae consilia magis res dent hominibus, quam homines rebus, ea ante tempus immatura non praecepturum. Optare, ut quae caute, atque consulte gesta essent, satis prospere evenirent. Temeritatem, praeterquam quod stulta sit, infelicem etiam ad id locorum fuisse.*

XXXIII.

Consilium Varronis, et Aemilii dissensiones.

Ab hoc sermone profectum Paulum tradunt, prosequentibus primoribus patrum. Plebeium Consulem sua plebs prosecuta, turba, quam dignitate, conspectior. Ut in castra venerunt, permisto novo exercitu, ac vetere, castris bifariam factis, ut nova minora essent propius Annibali, in veteribus maior pars, et omne robur virium esset: tum anni prioris Consulem M. Attilium aetatem excusantem Romam miserunt. Cn. Servilium in minoribus castris legioni Romanae, et sociorum peditum, equitumque duobus millibus praeficiunt. Annibal quanquam parte dimidia auctas hostium copias cernebat, tamen adventu Consulum mire gaudere: non solum enim nihil ex raptis in diem com meatibus superabat, sed ne unde raperet quidem, quidquam reliqui erat, omni undique frumento posteaquam ager parum tutus erat, in urbes munitas convecto: ut vix decem dierum, quod compertum postea est, frumentum superesset. Hispanorumque ob inopiam transitio parata fuerit, si maturitas temporis expectata foret. Ceterum temeritati Consulis, ac praepropero ingenio materiam etiam fortuna dedit: quod in prohibendis praedatoribus tumultuario praelio, ac procursu magis militum, quam ex praeparato, aut iussu Imperatorum orto, haudquaquam par Poenis dimicatio fuit. Ad M. et DCCC caesi, non plus C. Romanorum, sociorumque occisis. Ceterum victoribus effuse sequentibus, metu insidiarum, obstitit Paulus Consul, cuius eo die (nam alternis imperitabant) imperium erat: Varrone indignante, ac vociferante, emissum hostem e manibus, debellarique, nisi cessatum foret, potuisse. Annibal id damnum haud aegerrime pati, quin potius credere, velut inescatam temeritatem ferocioris Consulis, ac novorum maxime militum esse. Et omnia ei hostium, haud secus, quam sua, nota

erant : dissimiles , discordesque imperitare , duas prope partes tironum militum in exercitu esse.

XXIV.

Annibalis insidiae deteguntur.

Itaque locum , et tempus insidiis aptum se habere ratus, nocte proxima, nihil, praeter arma ferentes secum milites, ducens, castra plena, omnis fortunae publicae, privataeque relinquit: transque proximos montes laeva pedites instructos condit, dextra equites, impedimenta per convallem, in medium agmen traducit, ut, diripiendis velut desertis fuga dominorum castris, occupatum, impeditumque hostem opprimeret. Crebri relictis in castris ignes, ut fides fieret, dum ipse longius spatium fuga praeciperet, falsa imagine castrorum, sicut Fabium priore anno frustratus esset, tenere in locis Consules voluisse, Ubi illuxit, subductae primo stationes, inde propius adeuntibus insolitum silentium admirationem fecit. Iam satis comperta solitudine in castris, concursus fit ad praetoria Consulum, nunciantium fugam hostium adeo trepidam, ut tabernaculis stantibus castra reliquerint: quoque fuga obscurior esset, crebros etiam relictos ignes. Clamor inde ortus, ut signa proferri iuberent, ducerentque ad persequendos hostes, ac protinus castra diripienda. Et Consul alter velut unus turbae militaris erat, Paulus etiam, atque etiam dicere: *providendum, praecavendumque esse.* Postremo cum aliter neque seditionem, neque ducem seditionis sustinere posset, M. Statilium praefectum cum turma Lucanorum exploratum misit, qui ubi adaequavit portis, subsistere extra munimenta ceteris iussis. ipse cum duobus equitibus vallum intravit, speculatusque omnia cum cura, renunciat insidias profecto esse: ignes in parte castrorum, quae vergat in hostem, relictos: tabernacula aperta, et o-

omnia cara in promptu relicta: argentum quibusdam locis temere per vias velut obiectum ad praedam vidisse. Quae ad detinendos a cupiditate animos nunciata erant; ea accenderunt, et clamore sublato a militibus, nisi signum detur, sine ducibus ituros: haud quaquam dux defuit. Nam extemplo Varro signum dedit proficiscendi. Paulus, cum ei sua sponte cunctanti, pulli quoque auspicio non addixissent, obnunciari iam efferenti porta signa collegae iussit. Quod quanquam Varro aegre est passus: Flamini tamen recens casus, Claudique Consulis primo Punico bello memorata navalis clades, religionem animo incussit. Dii prope ipsi eo die magis distulere, quam prohibuere, imminentem pestem Romanis. Nam forte ita evenit: ut cum referri signa in castra iubenti Consuli milites non parerent, servi duo, Formiani unus, alter Sidicini equitis, qui Servilio, atque Attilio Consulibus inter pabulatores excepti a Numidis fuerant, profugerent eo die ad dominos, qui deducti ad Consules denunciant, omnem exercitum Annibalis trans proximos montes sedere in insidiis. Horum opportunus adventus Consules imperii potentes fecit: cum ambitio alterius suam primum apud eos parva indulgentia maiestatem solvisset.

XXXV.

Annibal ad Cannas castra ponit.

Annibal postquam motos magis inconsulte Romanos, quam ad ultimum temere evestos, vidit: nequicquam detecta fraude in castra rediit. Ibi plures dies propter inopiam frumenti manere nequibat: novaque consilia in dies non apud milites solum mistos ex colluvione omnium gentium, sed etiam apud ipsum ducem oriebantur. Nam cum initio fremitus, deinde aperta vociferatio fuisset

exposcentium stipendium debitum, querentiumque annonam primo, postremo famem, et mercenarios milites, maxime Hispani generis, de transitione cepisse consilium, fama esset: ipse etiam interdum Annibal de fuga in Galliam dicitur agitasse: ita ut, relicto peditatu, omni cum equitatu se proriperet. Cum haec consilia, atque hic habitus animorum esset in castris, movere inde statuit in calidiora, atque eo maturiora messibus Apuliae loca: simul ut, quo longius ab hoste recessisset, transfugia impeditiora levibus ingeniis essent. Profectus est nocte, ignibus similiter factis, tabernaculisque paucis in speciem relictis, ut insidiarum par priori metus Romanos contineret. Sed per eundem Lucanum Statilium, omnibus ultra castra, transque montes exploratis, cum relatum esset, visum procul hostium agmen: tum die sequenti eius insequendi consilia agitari coepta, Cum utriusque Consulis eadem esset, quae semper ante fuisset, sententia: ceterum Varroni fere omnes, Paulo nemo, praeter Servilium prioris anni Consulem, adsentiretur, maioris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas, urgente fato profecti sunt. Prope eum vicum Annibal castra posuerat, aversa a Vulturno vento, qui campis torridis siccitate nubes pulveris vehit. Id cum ipsis castris percommodum fuit, tum salutare praecipue futurum erat, cum aciem dirigerent, ipsi aversi, terga tantum adflante vento, in obcoecatam pulvere effuso hostem pugnaturi.

XXXVI.

Varro Consul instructis copiis Annibalem adoritur.

Consules satis exploratis itineribus sequentes Poenum, ut ventum ad Cannas est, ubi in conspectu Poenum habebant, bina castra communiunt. eodem ferme intervallo, quo ad Gerionem, sicut an.

te, copiis divisis. Aufidus amnis utrisque castris adfluens, aditum aquatoribus ex sua cuiusque oportunitate haud sine certamine dabat. Ex minoribus tamen castris, quae posita trans Aufidum erant, liberius aquabantur Romani, qui ripa ulterior nullum habebat hostium praesidium. Annibal spem nactus loci ad equestrem pugnam, qua parte virium invictus erat, facturus copiam pugnandi Consulibus, dirigit aciem, lacescitque Numidarum procursatione hostes. Inde rursus sollicitari seditione militari, ac discordia Consulum Romana castra, cum Paulus Sempronii, et Flamini temeritatem Varroni, Varro speciosum timidus, ac seignibus ducibus exemplum Fabii obiiceret, testareturque Deos, et homines: hic, *nullam penes se culpam esse, quod Annibal iam velut suam cepisset Italiam, se constrictum a collega teneri. ferrum atque arma iratis, et pugnare cupientibus adimi militibus; Ille, si quid proiectis, ac proditiis ad inconsulatam, atque improvidam pugnam legionibus accideret, se omnis culpa exsortem. omnis tamen eventus participem fore, diceret. Videret, ut quibus lingua prompta, ac temeraria esset, aequae in pugnam vigerent manus.* Dum altercationibus magis, quam consiliis tempus teritur. Annibal ex acie quam ad multum diei tenuerat instructam cum in castra ceteras reciperet copias, Numidas ad invadendos ex minoribus castris Romanorum aquatores trans flumen mittit. Quam inconditam turbam cum vix dum in ripam egressi clamore, ac tumultu fugassent, in stationem quoque pro vallo locatam, atque ipsas prope portas eveci sunt. Id vero indignum visum, ab tumultuario auxilio iam etiam castra Romana terreri, ut ea modo una causa, ne extemplo transirent flumen, dirigerentque aciem, tenuerit Romanos, quod summa imperii eo die penes Paulum fuerit. Itaque Varro postero die, cui sors eius diei imperii erat, nihil consulto collega, signum pugnae proposuit: instructisque copiis flumen transivit, sequente Paulo; quia magis

non probare, quam non adiuuare, consilium poterat. Transgressi flumen, eas quoque, quas in castris minoribus habuerant copias, suis adiungunt; atque ita instructa acie, in dextro cornu (id erat flumini propius) Romanos equites locant, deinde pedites. Laevum cornu extremi equites sociorum, intra pedites, ad medium iuncti legionibus Romanis tenuerunt iaculatores. Ex ceteris levium armorum auxiliis prima acies facta. Consules cornua tenent, Terentius laevum, Aemilius dextrum, Cn. Servilio media pugna tuenda data.

XXXVII.

Annibal instructa acie secundo Marte pugnat.

Annibal luce prima, Balearibus, levique alia armatura praemissa, transgressus flumen, ut quosque traduxerat, ita in acie locabat, Gallos, Hispanosque equites prope ripam laevo in cornu adversus Romanum equitatum: dextrum cornu Numidis equitibus datum, media acies peditibus firmata: ita, ut Afrorum utraque cornua essent; interponerentur his medii Galli, atque Hispani. Afros Romanam magna ex parte crederes aciem: ita armati erant, armis et ad Trebiam, ceterum magna ex parte ad Trasymenum captis. Gallis, Hispanisque scuta eiusdem formae fere erant: dispaes, ac dissimiles gladii, Gallis praelongi, ac sine mucronibus; Hispano punctim magis, quam caesim, adsveto petere hostem, brevitate habiles, et cum mucronibus. Ante ceteros armati (is gentium harum habitus tum magnitudine corporum, tum specie terribilis erat) Galli super umbilicum erant nudi: Hispani linteis praetextis purpura tunicis candore miro fulgentibus constiterant. Numerum omnium, qui tum peditum, equitumque in acie stetero, L millia fuerunt, videlicet: quadraginta peditum millia, decem equitum. Duces cornibus praecerant: sinistrum Asdrubal, dextrum tegebat

Maharbal, mediam aciem Annibal ipse cum fratre Magone tenuit: sol, seu de industria ita locatis, seu quod forte ita stando peropportune utrique parti obliquus erat, Romanis in meridiem, Poenis in septentrionem versis. Ventus, quem Vulturum incolae regionis vocant, adversus Romanos coortus, multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit. Clamore sublato procursum ab auxiliis, et pugna levibus primum armis commissa: deinde equitum Gallorum, Hispanorumque laevum cornu cum dextro Romano concurrit, minime equestris more pugnae; frondibus enim adversis concurrendum erat: quia nullo circa ad evagandum relicto spatio, hinc amnis, hinc peditum acies claudebant. In directum utrinque nitentes, stantibus, ac confertis, postremo turbatis equis, vir virium amplexus detrahebat equo. Pedestre magnam iam ex parte certamen factum erat. Acrius tamen, quam diutius pugnatum est: pulsique Romani equites terga vertunt.

XXXVIII.

Victi Romani dissipantur.

Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna. Primo et viribus, et animis pares constabant ordines Gallis, Hispanisque. Tandem Romani diu, ac saepe consilio agitabant, qua fronte, acieque densa impellerent hostium cuneum nimis tenuem, eoque parum validum, a cetera prominentem acie. Impulsis deinde, ac trepide referentibus pedem insistere, ac tenore uno per praeceptis pavore fugientium agmen in mediam primum aciem illati, postremo, nullo resistente, ad subsidia Afrorum pervenerunt, qui utrinque reductis alis constiterant: mediique Galli, Hispanique steterunt, aliquantum prominente acie: qui cuneus ut pulsus, aequavit frontem primum, deinde nitendo etiam sinum in medio dedit, Afri circa cornua iam vim

fecerant, irruentibusque incaute in medium Romanis circumdedere alas: mox cornua extendendo, clausere et ab tergo hostes. Hinc Romani defuncti nequicquam praelio uno, omissis Gallis, Hispanisque, quorum terga caeciderant, etiam adversus Afros integram pugnam ineunt: non tantum eo iniquam, quod inclusi adversus circumfusos, sed etiam, quod fessi cum recentibus, ac vegetis pugnant. Iam et in sinistro cornu Romano, ubi sociorum equites adversus Numidas steterant, conserutum praelium erat, segne primo et a Punica coeptum fraude. Quingenti ferme Numidae, praeter consveta arma, telaque, gladios occultos sub loriceis habentes, specie transfugarum, cum ab suis parmas post terga habentes adequitassent, repente ex equis desiliunt, parmisque, et iaculis ante pedes hostium proiectis, in mediam aciem accepti, ductique ad ultimos, considerare ab tergo iubentur. Ac, dum praelium ab omni parte conseritur, quieti manserunt. Postquam omnium animos, oculosque occupaverat certamen, tum arreptis scutis, quae passim inter acervos caesorum corporum strata erant, aversam adoriuntur Romanam aciem, tergaque ferientes, ac poplites caedentes, stragem ingentem: ac maiorem aliquanto pavorem, ac tumultum fecerunt. Cum alibi terror, ac fuga, alibi pertinax in mala iam spe praelium esset. Asdrubal, qui ea parte praererat, subductos ex media acie Numidas, quia segnis eorum cum adversis pugna erat, ad persequendos passim fugientes mittit. Hispanos et Gallos pedites Afris, iam prope fessis caede magis, quam pugna, adiungit.

XXXIX.

Romanorum misera strages.

Parte altera pugnae Paulus, quanquam primo statim praelio funda graviter ictus fuerat, tamen et occurrit saepe cum confertis Annibali, et ali-

quot locis praelium restituit, protegentibus eum equitibus Romanis: omissis postremo equis, quia Consulem ad regendum equum vires deficiebant; tum denunciati cuidam, iussisse Consulem ad pedes descendere equites, dixisse Annibalem ferunt: *quam mallem victos mihi traderet!* Equitum pedestre praelium, quale iam haud dubia hostium victoria, fuit. cum victi mori in vestigio mallent, quam fugere; victores, morantibus victoriam irati, trucidarent, quos pellere non poterant, pepulerunt tamen iam paucos superatos, et labore, ac vulneribus fessos. Iade dissipati omnes sunt, equosque ad fugam, qui poterant, repetebant. Cn. Lentulus Tribunus militum, cum praetervehens equo, sedentem in saxo, cruore oppletum Consulem vidisset: *Aemili, inquit, quem unum insontem culpae cladis hodiernae Dii respicere debent, cape hunc equum, dum et tibi virum aliquid superest: comes ego te tollere possum, ac protegere, ne funestam hanc pugnam morte Consulis feceris: etiam sine hoc lacrimarum satis, luctusque est.* Ad ea Consuli: *Tu quidem, Cn. Corneli, maxime virtute esto: sed cave, frustra miserando, exiguum tempus e manibus hostium evadendi absumas. Abi, nuncia publice patribus, urbem Romam muniant, ac prius, quam hostis victor adveniat, praesidiis firment: privatimque Q. Fabio. L. Aemilium praeceptorum eius memorem exstitisse, et vixisse, et adhuc mori. Et tu me in hac strage militum meorum patere, exspirare, ne ut reus inteream: causaque Consulatus accusator collegae existam, ut alieno crimine innocentiam meam protegam.* Haec exigentem, prius turba fugientium civium, deinde hostes oppressere Consulem, ignorantes, quis esset, obruerantque telis. Lentulum in tumultum abripuit equus.

XL.

*Caesorum Romanorum in Cannensi pugna
numerus.*

Tum inde effuse fugiunt. Septem millia hominum in minora castra, decem in maiora, duo ferme in vicum ipsum Cannas perfugerunt: qui ex templo a Carthalone, atque equitibus, nullo munimento tegente, vicum circumventi sunt. Consul alter, seu forte, seu consilio, nihil fugientium infestus agmini, cum quinquaginta fere equitibus Venusiam profugit. Quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equites, et tanta prope civium, sociorumque pars caesi dicuntur. In his alter Consul. Questores: L. Atilius, et L. Furius Bibaculus: XXI Tribuni militum, Consulares quidam, Praetoriorumque, et Aedilitii: inter eos Cn. Servilius, M. Matho, qui Magister equitum priore anno, Consul aliquot annis ante fuerat: LXXX praeterea Senatores, aut qui eos Magistratus, gessissent, unde in Senatum legi deberent, cum sua voluntate milites in legionibus facti essent. Capta eo praelio tria millia peditum, et equites trecenti dicuntur. Haec est pugna Cannensi clade nobilitata. par Alliensi. Ceterum ut haec illa iis, quae post pugnam accidere, levior, quia ab hoste cessatum est: sic s rage exercitus gravior, foediorque fuit fuga. Namque ad Alliam fuga sicut urbem prodidit, ita exercitum servavit; ad Cannas fugientem Consulem vix quinquaginta secuti sunt; alterius morientis prope totus exercitus fugit. a)

a) *Alii legunt: fuit. Quasi esset: prope totus cum Consule periit exercitus.*

APPENDIX

Humaniorum literarum Instituturibus, ac Discipulis non utilis modo, sed et necessaria.

BREVIS NOTITIA.

Classicorum Scriptorum, tam solutae, quam ligatae Orationes.

Antiqui et probati Scriptores Latini cur *Classici* dicantur, ex ritibus Romanis notum est, et quid vocabulum *Classicus* denotaverit apud Romanos etiam *Gellius* L. 7. C. 15. explicat. Horum Scriptorum notitia familiari, et exercitatione crebra quia *sensum pulchri*, seu *bonum gustum* latius propagari exoptat *Ratio Educationis Publicae* per *Regnum Hungariae, et Provincias adnexas*, *Sectione III, Cap. I. §. 85.* ideo ad eandem notitiam Auctorum, hac scriptione volui facere iuvenibus viam expeditiorem, praesertim qui ex eorum scientia *sensum illum pulchri* contrahere niterentur. Alias quomodo in pulcherrimo hoc studio progredientur, si ne de nomine quidem *Classicos* Scriprores noverint? Ac primum quidem exhibebo Auctores solutae Orationis, tum ligatae.

Adnot. Scriptores hos linguae latinae dividere solent in aetates: *auream* definiunt ab A. U. C. 514. ad 757. qui accidit in annum a Christo nato 14. tum. Ante hanc aetatem in urbe ab initio nul-

lae praeter Graecas literas fuerunt; deinde postea Latinae balbutire coeperunt, tum adolescere, donec ad virilem aetatem pervenissent; hoc est: ad absolutam illam elegantiam, gravitatem, pulchritudinem. Sed ut fere solent maxima bona, cito in deterius prolapsa est haec lingua, dum sensim corrupta intercidit. *Argenteam* ab anno Chr. 14-to ad 117. ducunt. *Aeneam aetatem* ab hoc anno numerant, quae desineret in an. Chr. 400. Tum sequi dicunt *Ferream* et *Luteam*, quae seculo 9-0 terminaretur. Nam seculo X. et sequentibus in squalore iacuisse Latinam linguam constat, ad seculum 14-um usque, quo instaurari, primum quidem in Italia, tum certatim per plura Regna, et Provincias, coepit. Nec ab eo tempore plurimorum conatus eam ad pristinum nitorem revocare destiterunt. Hinc isti instauratores illius dici consueverunt.

M. Porcius Cato vixit circiter *A. M.* 3770. Tusculanus. Egregius Imperator, Consul, ac Censor; hinc Censorinus dictus, et Cato maior; ad distinctionem Catonis Minoris, seu Uticensis. Magno iam natu didicit Graecas literas, nec pauca scripsit, nomenque Juris-Consulti, Oratoris, Historici, ac Philosophi promeruit. Ex plurimis scriptis superest tantum liber de *Rebus Rusticis*, seu de *Agricultura*.

M. Terentius Varro circit. *A. M.* 5890. Romanus. A Cicerone vir ingenio, omnique doctrina praestans, a Dionys. Halicarnasseo suae aetatis doctissimus; a Quintil. Romanorum eruditissimus appellatur. Post bellum civile Bibliothecis Graecis, ac Latinis comparandis, dirigendisque Caesar eum praefecit. Libros 490. memoratur conscripsisse. Ex libris de *Lingua Latina* exstant sex tantum. De *Re Rustica* libros tantum III. habemus. Non minus in Poësi valuit, ut ex *Fragmentis* apparet.

C. Sallustius Crispus circiter *A. M.* 5890, Huius notitiam alio loco dedimus. *C. Julius Caesar* circit. *A. M.* 5900. De hoc etiam iam alibi *M. Tullius Cicero* circit. *A. M.* 5900. De hoc quoque *Cornelius Nepos*. circit. *A. M.* 5900. alibi vitam exposuimus.

Aulus Hirtius circit. *A. M.* 3910. Julii Caesaris familiaris, qui anno proximo post mortem Caesaris Consul, demum in acie interfectus est, dum partes Octaviani tueretur. Huius opera sunt: Liber octavus de *Bello Gallico* apud Caesarem. *De Bello Alexandrino, Africano, Hispaniensi*; quae simul cum Caesare eduntur. In *Belli Africani* narratione dictionem Lipsius Caesare digniorem putat, quam quae in *Commentariis* est. Horum operum aliqua alii dubitant: *Cornelione Balbo*, vel *Hirtio*, aut *C. Oppio* tribuant.

Publ. Syrus Mimographus circit. *A. M.* 5910 cui nomen a natione adhaesit. Iulio Caesari acceptus. Circumferuntur eius nomine *Mimi, seu sententiae* 982. versibus iambicis, vel trochaicis expressae, iam seorsim, iam cum aliis scriptoribus, ut: *Seneca, Phaedro*, etc. editae; quae laudantur tanquam ad usum puerorum valde accommodatae, nec de manibus eorum deponendae.

T. Livius circit. *A. M.* 5920 Patavinus Imp. de vita eius alibi dictum.

M. Vitruvius vel *Vitruvius Pollio* circit. *A. M.* 5920. Veronensis. Non suae tantum scientiae, id est: *Architecturae*, sed aliarum quoque peritus, et in Graecis scriptoribus diligenter versatus. Militavit in castris Julii Caesaris. Bellicis Machinis Praefectus. Supersunt illius *de Architectura Lib. X.* ad Imp. Augustum. In iis plebitatem Latini sermonis quidam notarunt quidem, sed eam Architecto fuisse necessariam fassi sunt, quod is plebeiorum manibus, et lingua uti cogebatur. Ceterum saepe plebs, praesertim optimo il-

lo, quo is vixit, seculo de rebus quotidiano opere sibi cognitis magis proprie, pureque locuta est.

C. Julius Hyginus A. Chr. 1. Hispanus, vel Alexandrinus, Augusti Imp. libertus, Ovidii familiaris. Praefectus fuit Palatinae Biblioth. Plurima scripsit. Genuina illius scripta, quorum veteres memoriam conservarunt, omnia periere. Uti: de *situ Urbium Italicarum*; de *Agricultura*; *Arte militari*; etc. Exstat sub eius nomine liber *Fabularum* 277. Oratione humili, et plebeia descriptus, quae cum aliorum operibus prodeunt. Exstat etiam: *Poëticon Astronomicum libris IV.* Etiam liber: *Grammaticus*, sive de *limitibus constituendis* sub nomine Hygini legitur, qui tamen posteriorum est temporum, quia Traiani Imper. mentionem facit.

P. Velleius Paterculus A. Ch. 20. Romanus. Ex equestri familia, diversis muneribus functus. Sub Tiberio Imp. Praetor, a quo etiam ob amicitiam Seiani caesus esse dicitur. Supersunt succinctae *Historiae Rom. Libri II.* in quibus, quod Tiberio, Seiano, Liviae aduletur, probandus non est. Dictio eius Romana est, narrat cum gratia; acre eius iudicium, crebra epiphonemata. Eruit consiliorum arcana prudenter, et non tam historiam, quam iudicium de summis viris scripsit. Hinc uti curius in *locis*, Florus in *factis*; ita iste in *personis* describendis elegans.

Aurelius Cornelius Celsus. A. Ch. Romanus. Vir doctissimus. E diversis eius scriptis, quibus Jus Civile, et Philosophiam illustravit, teste Quintil. reique militaris, et Rusticae, ac Medicinae praecepta reliquit, soli ad nos pervenerunt eius de *re Medica Libri VIII.* Qui cum sint puro, facilique sermone nitide contexti, meruit dici Medicorum Cicero, vel Latinus Hippocrates.

M. Annaeus Senecae Rhetor. A. C. 30. Cordubensis Hispan. Vir equestris ordinis, sed literarum scientia nobilior, et liberis clarior; in quibus est: L. Annaeus Seneca Philosophus, fama nominis eximius. Rhetor noster floruit sub Augusto, et Tiberio, scripsit X. *Libros causarum Iudicialium*, sive *contraversiarum*. Ex his vix V. integri, sed corrupti passim, mutilique exstant. Ex his vix X. libris excerpta, sive fragmenta filiorum suorum usui inscripsit. Item exstat liber *Svasoriarum*. Credibile est ex svasoriis librum primum tantum ad nos pervenisse, neque hunc integrum. Viri docti stilum eius purum, et elegantem habent; quidam tamen dictionem concisam nimis censent, et interdum argutam. Iudicii acumine valuit, quo aliorum ingenia, dictaque accurate diiudicabat.

Valerius Maximus A. C. 30. Romanus, qui cum aliquamdiu militasset in Asia, post caedem Seiani rediit in patriam, scripsitque libros XI. *dictorum, et factorum memorabilium ad Tiberium Imper.* Opus iucundum, varium, utile, iam vetustioribus, ut: Gellio, Plinio, Plutarcho lectum. An hoc opus sit Valerii, quod hodie sub eius nomine apparet, dubitant eruditi, et existimant epitomen tantum esse ex maiori Valerii opere concinnatam. Quia libri, quos habemus, interdum dictionem proderent illa aetate indignam. Nec fundamento carere suam suspicionem ostendunt. In narrando est gravis, varietate delectabilis, virtutum, vitiorumque silvam profert, Frequens et sollicitus Deorum cultor est.

Pomponius Mela, A. C. 40. Hispanus, e Bactica Provincia. Pater Annaei Lucani Poëtae. Exstant eius *Libri III. de situ orbis*. In quibus perspicuam brevitatem, et miram elegantiam sequitur, et quod in brevitatem nil minus, quam obscurus sit, id eidem summae laudi tribuitur. Unde scriptor vere principibus Latinorum accensendus.

L. Iu. Moderatus Columella, A. C. 50. Gadi-
ranus. Supersunt eius libri XII. *de re Rustica*; li-
ber unus *de cultura hortorum* versibus vere La-
tinis scriptus. Reliqui libri prosa oratione elucu-
brati, commendant se pura, castaque elegancia La-
tini sermonis, et suavitate. Non humiliore loco in-
ter Scriptores dignus; quam prior.

L. Annaeus Seneca Philosophus. A. C. 60.
M. Annaei Senecae filius: cum Afranio Burro iu-
ventae Neronis moderator. Postquam summis ho-
noribus functus esset, ab eodem Nerone vita ius-
sus excedere balneum intravit, et ipse sibi ferro
venas exolvit triennio post Burri mortem. Diver-
sa Opera delecti argumenti, eaque utilia scripsit.
Item: *Epistolas* 124. etc. cuius quidem ingenium
fuit summum, magnaque et multae virtutes. Qui
cum eo tempore floreret, quo iam aureas acumi-
na sententias desiderarent, ad eum stilum adiecit
animum, quia iste unice iam placebat. Quare eius
dictio nihil habet naturale, nihil simile Augusti
aevo. Quae omnia persvadent: Senecam non esse
legendum tironibus, sed quibus firmitus est iudici-
um. Multa enim non eo sunt probatissima, multa
etiam admiranda, sed non cum gustu aureae aeta-
tis scripta. *De hac Quintili. Lib. X. Cap. I.*

C. Plinius Secundus A. C. 70. Iam *Maior*, iam
Senior dicitur. Veronensis. Omnibus disciplinis
excultus, qui post perfecta plurima volumina, im-
mortalitate dignissima, dum montem Vesuvium,
qui fumum, et ignes evomere incipiebat, cogno-
scendae rei cupiditate propius accessisset, ex fumo
nubis e monte ortae spiritu obstructo obiit sub
Tito Imp. Ex scriptis eius ad nos pervenit Histo-
ria Naturalis, constans *Libris* 37. Opera deper-
dita enumerat Plinius Junior *Epist. III. L. 5.* Scri-
ptor est maturus, et gravis, et scribendi genere in
rebus saepe humilibus incomparabilis. Stilo satis
culto, lectoque utitur, sed credulus nimis fuit
Graecis, unde plurima hausit.

Asconius Pedianus. A. C. 70. Patavinus, iam sub Augusto vixit. Exstant eius commentarii succincti, et praestantissimi, licet mutili in quasdam orationes Ciceronis. Eruditi aureum censent hoc opusculum. Stili Ascaniani nitor effulget ex orationum Ciceronianarum argumentis. Dictio perspicua, brevis, temperata in iis, quibus illustrat orationes; sed, ut iam dictum, haec quoque mutila ad nos pervenit. Scripsit alia quoque, verum ea pridem, ut maior pars horum commentariorum, interciderunt.

Quintus Curtius Rufus. Inter eruditos non convenit, aut quis fuerit, aut qua aetate vixerit Curtius. Sed de eo alibi iam. *M. Fabius Quintilianus* A. C. 80. de hoc quoque.

Sex. Iulius Frontinus circit. A. C. 90, Vir Consularis, sub pluribus Imperat. varia munera gessit. Sub Traiano diem supremum obiit. Superest eius opus de *Aquae ductibus urbis Rom.* Lib. II. Aquarum enim cura eidem a Nerva fuit demandata. Deinde supersunt *Libri III.* de solertibus ducum Graecorum, et Rom. ac aliorum in bello factis, et dictis. *Semi Stratagematicon.* Opera de coloniis, et limitibus agrorum, et libri de scientia militari perierunt. In operibus suis est perspicuus, serius, minime verbosus. Nec dictio est inelegans.

C. Cornelius Tacitus. A. C. 100. Alibi de hoc expositum. *C. Plinius Iunior*, ceu: *C. P. Caecilius Secundus*. De hoc etiam *L. Annaeus Florus*. A. C. 110. De isto quoque.

C. Svetonius Tranquillus. A. C. 110. Grammaticus, et Rhetor Romanus. Scriptor emendatissimus, et candidissimus. Plinii iunioris amicus, et Magister epistolarum. Ex eius scriptis exstant: *Vitae XII. Imperatorum* ea libertate conscriptae,

qua ipsi vixerunt. Item liber de *Illustribus Grammaticis*. Item: de *claris Rhetoribus*, et de *Poëtis*; tunc alii describuntur; *Formulae* item *Fori*, et *Curiae*, *Edicta*, *Senatus Consulta*; quae frustra alibi quaererentur. Id quoque sciendum: Svetonii institutum fuisse non tam historiam Imperatorum, quam privatam vitam describere.

M. Iunianus Iustinus. A. C. 140. Huius notitiam alio in loco iam dedimus.

Aulus Gellius A. C. 140. Romanus. Sub Antonio Pio vixisse, sub Antonino philosopho mortuum fuisse vix dubitari potest. Exstant eius: *Noctium Atticarum Libri XX*. quos longis per hiemem noctibus in agro Atticae scribere exorsus est. Pro elegantissimo linguae latinae auctore habetur, et olim est habitus. Plurima nobis ex antiquitate conservavit, quibus nunc carere cogemur, neque ob antiquorum vocabulorum usum desinit esse latinissimus. Scriptor diligens, accuratus, varius, amoenus, et curiosus. Quidquid in contrarium dicat Joan. Lud. Vives libris III. de tradendis discipl.

L. Appulleus. A. C. 150. Mandaurensis ex Africa. Orator, Juriscons. Philosophus nobilis evasit. Graece et Latine insigniter doctus. Temporibus Antoninorum floruit. Eius sunt opera: *de Philosophia Naturali*; *Morali*; *de Syllogismo Categorico*; *de Deo Socratis*. *De Mundo*. *Adlocuta ad Asclepium*; *Metamorphos*, LXI. *Oratio de Magia*; *Florida*. Dictionis monstrosae, et vere Africanae est; tumidae, affectataeque, est tamen plurimae utilitatis, et eruditionis auctor.

C. Julius Solinus A. C. 190. Romanus Grammaticus; qui Plinium Maiorem in compendium rededit. Quod opus sub titulo: *Collectanea rerum memorabilium*, vel sub *Polyhistoris* inscriptione

prodivit. Stilus eius minus est Pliniano politus, et habet aliquid obscuritatis, et affectionis, Laus tamen eruditionis illi adimenda non est. Etiam carmine eum valuisse ostendit fragmentum: *Ponticon*, seu de *Piscibus*, cuius vix viginti duo primi versus supersunt.

M. Minutius Felix A. C. 220. Afer Romae inter celebriores causidicos locum tenuit; doctrina tamen, et pietate christiana fuit nobilior. Scripsit dialogum sub hoc titulo: *Octavius*, in quo totum gentilium cultum non minus erudite, quam venuste, et ingeniose convellit, et Christianos, ac eorum sacra nervose vindicat. Ceterum tamen plus Ethnicorum ridiculas opiniones ostendit, quam Christianorum doctrinam explicat. Lactea sermonis ubertate ad Lactantium accedit. Mirabili perspicuitate ubique utitur. Nil habet obscuritate molestum, nil verborum novitate horrens, durum, abruptum. Iucundus eloquendi modus sententias in illo est, quibus abundat, et antiquitatum, ac historiarum memoria refertus.

Palladius Rutil. Taurus Aemilan. A. C. 250 Romanus. Graece etiam doctus. Fundos in Sardinia, et circa Neapolim habuit. Scripsit dictione simplici, nec ineleganti *Libros XIII. de re rustica*; liber *ultimus* versu elegiaco scriptus agit de *institutione arborum*. Etsi autem inveniantur in hoc scriptore vocabula prioribus aetatibus non usitata, tamen utilis est, quod singulorum mensium singulis libris rusticas operas explicet.

Julius Obsequens A. C. 260. De patria, et aetate eius, qua vixit, non satis constat, sermone tamen castigatus, quo utitur, meliori aevò illum floruisse, et praenomen Julii, fuisse Romanum satis prodit. Exstat eius libri de *prodigiis* fragmentum. In quo prodigia Romae, vel in regionibus Romanae ditioni subiectis visa exhibet ordine tempo-

rum. Partem libri priorem, quae intercidit, supplet Conrad. Lycosthenes.

Arnobius A. C. 500. Afer, docuit Rhetoricam magna cum laude, Philosophus fuit insignis, et sacra christiana amplexus, Presbyter factus est. Dum Ethnicus esset, elaboravit *adversus gentes libros VII.* ut tanto magis fidem faceret Episcopus, se velle Christianum esse. Scripsit et alia, quae perita sunt. Eius libri VII. est reconditae sapientiae promptuarium, quo fatum gentilium religio exploditur, vera confirmatur, licet quibusdam in locis a veritate Christiana nonnihil recedat, quam nondum perfecte noverat. Stilus eius suam habet eloquentiam, et dictionem florentem, rationum pondera, exquisitas sententias; quamvis voces interdum, et loquendi modos non vere Latinos adhibeat, sed iam suo seculo in usum adscitos.

L. Caelius Lactantius Firmianus. A. C. 310. Natus Firmii in Italia. Discipulus Arnobii, religione Christianus, informator Principis Crispini sub Constantino M. Imperatore. Scripsit *Institutionum Libros VII. Institutionum Epitomen. De ira Dei. De Opificio Dei. De Mortibus Prosecutorum.* Communi iudicio viri docti haec de Lactantio praedicant: stilum eius esse tersum, nitidum, facilem, fonte quodam nativo eloquentia sponte fluentem, et Christianorum scriptorum sine controversia facundissimum. Unde Ciceronis Christiani nomen iure optimo illum mereri; nedum ob vocabulorum puritatem, sed etiam phrasium elegantiam, et scribendi modum Ciceroniano adeo conformem, ut emunctioris naris eruditi discrimen aliquod vix animadvertere possint. Ut res sit, Lactantium eo superiorem Cicerone esse certum est, quo religionis materiae Philosophorum axiomata superant. Illud citra invidiam dici potest, ab ipso Ciceronis aevo dictionis nitore et puritate vix ullum fuisse parem, superiorem vero neminem. Hunc nec aequa-

les, nec posteri momorderunt. Nemo elumbem, fractum, Asianum, redundantem nemo unquam accusavit. Naevi, si in scriptis, aliqui observantur, circa dogmata religionis paulo abstractiora, excusari sic debent: quod eo tempore nondum a Theologis dilucide fuerint explicata, nec Synodorum Decretis definita.

Julius Firmicus Maternus. A. C. 330. Siculus. Causidicus. Scripsit opusculum: de errore profanarum religionum. In hoc opere censetur erudite, graviter, et ingenti ardore causam Christianam agere. Item: exstant eius Libri VIII. Matheseos, seu de vi et potestatibus stellarum. Prior ille eruditus, disertus, ac pius habetur liber a doctissimo Fabric. L. 5. C. 8. Alioquin ipse Firmicus, vir probus, ac pius fuit. Iam senex divina Evangelii luce est collustratus.

Sext. Aurelius Victor. A. C. 560. Afer fuisse creditur, tenui familia ortus, sed ingenii laude commendatissimus; quem Iulianus Imper. apud Sirmium ad se vocatum Pannoniae secundae praefecit, et statum honoravit, et urbi etiam praeposuit. Sub eius nomine habemus librum, de origine gentis Rom. de viris illustribus urbis Romae. Librum: de Caesaribus. Et aliud opus: de vita et moribus Imperatorum Romanorum eidem tribuitur. Scriptor est praeclari iudicii, qui in vere affigendo cuique Principi caractere paucos pares habuit. Dicitio eius in Illustribus viris melior, quam in aliis operibus iudicatur. Acumen in eo Afrum, et sententiarum densitatem nodosam observant,

Sext. Rufus A. C. 560. Vir consularis. Dictator, et Magister militum. Scripsit Epitomen, seu Breviarium rerum gestarum Pop. Romani. Sub eius nomine exstat etiam liber, de regionibus urbis Romanae. Res multas breviter comprehendit, et insignem diligentiam in describenda urbe adhi-

huit. Scaliger plus ei tribuit, quam fere cuiquam historicorum.

Q. Aurelius Symmachus A. C. 560. Romanus. Vir Consularis, et Praefectus urbis gentium, adversus Christianos pertinax assertor. Exstant eius *Epistolarum ad diversos libri X*. Alia scripta non supersunt. Sermo eius pro eo tempore a germana puritate Latina multum degenerat, sed sententiae in eo graves et venustae sunt; et ipsae epistolae spirant genium viri in rebus politicis egregie versati.

Lucius Ampelius A. C. 590. Scripsit librum: *Memorialem*, in quo eleganti varietate narrationes totius orbis celebriores breviter complectitur; stilo nudo, et simplici, in quo pleraque castigata sunt.

Flavius Vegetius Renatus. A. C. 590. Vir illustris, Romanus. Comes *Aulae Constantinopolitanae*. Scripsit ad *Valentinum II. Imperat. Epitomen Institutionum Rei Militaris Libris V.* ex *M. Porcio Catone; Cornelio Celso; Paterno, Frontino, Varronis Navalibus, et Constitutionibus Augusti; Traiani, Hadriani*. Videtur Christianus fuisse. Erat diligens, ac doctus, et pro iis temporibus eloquens; et, quia methodo etiam elegantissima scripsit, sequentibus aetatibus admirationi fuit,

Ammianus Marcellinus A. C. 580. Antiochenus Graecus, vir militaris doctus. Vixit sub *Constantio Imp.* et qui hunc sequebantur ad *Theodosium usque*. Scriptor diligens, a Christianis Sacris alienus. Librariorum errore valde depravatus. Romae composuit: *Historiam rerum gestarum a Nerva, ad excessum Valentis Imp. XXXI.* e quibus tantum octodecim postremi aetatem tulerunt. Sunt in eo multa reprehensione digna, simul tamen multa utilia, et monitis plena. Dictio eius est horridior, in qua licet verba fere omnia Latina sint, sed constructio eorum, et collocatio militaris.

Scriptores Historiae Augustae minores seculo III a Christo nato fuerunt: *Capitolinus, Lampridius, Pollio, Vopiscus, Spartianus, Volcatius, Gallicanus*, qui vitas plerorumque Imperatorum ab Hadriano ad Diocletianum composuerunt.

Seculo IV. *Panegyrici* nominatiores fuerunt XII. Horum praecipui sunt: *Eumenius, Rhetor A. C. 330. Nazarius, A. C. 330. Mamertinus A. C. 360.* Hic et prior ceteris anteponitur omnibus. *Latinus Pacatus, A. C. 390.* Hoc genus Scriptorum fuit subtili ingenio, ad puritatem tamen Latini sermonis, dum maxime conaretur, assurgere non potuit.

Rhetores seculi IV. aut paulo tardioris aevi plures erant, quorum princeps fuit: *Victorinus Afer*, qui A. C. 360, vixit, et Romae cum plausu docuit. Qui praeter alia scripsit *Commentarios in Rhetorica Ciceronis.* Praeceptor D. Hieronymi.

Grammatici quoque seculi III. IV. et posterioris commemorandi sunt. Inter quos est: *Censorinus A. C. 250.* Doctissimus Grammaticus. Exstat eius liber: *de die natali, sive de humana origine;* vere liber: *Aureolus,* ut inquit Fabric. in Bibl. Lat. L. 5, variis doctrinae, et ingenii luminibus illustratus. Sine quo multa ignorarent Chronologi. Fragmentum de *naturali institutione*, quod ei tribuitur, est incerti auctoris. *Aelius Donatus, A. C. circit. 560.* vixit. Caius etiam discipulus fuit Romae S. Hieronymus. Praeter opera Grammatica scripsit notas in *Terentium et Virgilium.* *Servius Maurus circit. A. C. 420.* Grammaticorum princeps vocatur. *Virgilii* interpres, in quem *Commentarios dedit.* *Pompon. Porphyrius,* et *Acron,* incertae aetatis *Horatii* expositores. *Cornutus Persii Pestus Pompeius.* Etiam incertae aetatis. Habet opus: *de verborum significatione.*

Adnot. Si in causam inquiras, propter quam a sua puritate, et elegantia, ac gravitate lingua latina degeneravit, invenies eam fuisse, quod imprimis sub principatu Tiberii concursus hominum, qui ex diversis Provinciis, nationibus, et urbibus remotis civitate donabantur, Romani facti sint, et ipsi iam etiam Romani hoc imperante veteris libertatis obliti demittere animum, et suae fortunae similia facere, ac loqui caeperint. Unde sermonis gravitas, maiestas, et pulchritudo in adulatoriam, ac paenae servilem formam descivit, sensimque ad senium et interitum properavit. Ceterum ex recensione hic data auctorum coniecere potes, vergente in deterius lingua, sermonem quidem vulgarem immutatum esse, et exemplaria bene scribendi in antecedentibus seculis quaeri oportuisse; nihilominus tunc quoque exstitisse, qui eleganter scripserint. Tam ex hac, quam posteriori descriptione, si de integro perlegas, istud apparebit. In quarum neutra putaveris, me universos scriptores produxisse.

PRAECIPUI SCRIPTORES

ELOQUENTIAE LIGATAE.

Nemo existimet, hic se Poëtarum Romanorum nomina inventurum, qui ante perfectionem linguae Latinae vixerant. Ut sunt: Andronicus, Naevius, Ennius. Pacuvius, aliique Poëtae illorum temporum. Qui ad tempora perfectionis linguae, Poëticaeque proxime floruerunt, eoque sunt accensendi, et qui postea ad apicem linguam, et Poësim extulerunt, eos tantum cum temporum designatione, quibus vixerant, enumerabimus.

M. Accius Plautus circiter A. M. 5760. Hunc alibi percensuimus, *P. Terentius Afer* circit. A. M. 5770. Et hic alibi iam descriptus.

T. Lucretius Carus circiter A. M. 5880. Patria Romanus, Philosophus de Schola Epicuri acutissimus, cujus dogmata versu Heroico descripsit. Poëta sublimis, idemque elegans, et multae artis luminibus pictus, ac linguae latinae auctor egregius. Propria se manu interfecit, postquam hipponem ebibisset. Supersunt *Libri VI. de natura rerum*, quos a morte Lucretii emendasse scribitur Cicero, Perit ante Chr. nat. An. 51. Ovidius de eo iudicium reliquit: *Carmina sublimis tua sunt peritura Lucreti, exitio terras cum dabit una dies.*

C. Valerius Catullus circit. A. M. 5890. Superius delectui eius carminum praemissa vita est. *P. Virgilius Maro* circit. A. M. 5920. Alio loco eum descripsimus. *Q. Horatius Flaccus* circiter A. M. 5920. Et hunc alibi. *Albius Tibullus* circiter A. M. 5920. Superius de hoc, ubi pars eius carminum delecta proponitur. *Sext. Aurelius Propertius* circit. A. M. 5950. Et istius ibi exponitur

notitia, ubi carminum eius delectus pro II. Humanitatis Schola adfertur. *P. Ovidius Naso.* circiter A. M. 5940. Et de hoc iam alio loco dictum.

Gratius circit. A. M. 3940. Patria Faliscus. Vix a quoquam e veteribus, nisi ob Ovidio, aequali suo memoratus. *Lib. 4. de Ponto El.* ult. scripsit: *Cynegeticon*, seu de venatione carmen, versu hexametro, quod mutilum habemus. Prodiit primum cum fragmento Ovidij *Halieutico*, sive libro de piscibus, cum Nemesiano, ac Calpurnio. In Gratio felicissimum seculum eruditi agnoscunt. Est iudicium acre, lecta dictio. De hoc argumento scripsit et Nemesianus; cujus stilus est candidus, nec vulgare sonans, Gratii: castigatus.

Caesar Germanicus circit. A. M. 5940. Augusti Imp. nepos, in utroque genere eloquentiae excellens. Supersunt eius: *Aratea Phaenomena*, et fragmentum, *Prognosticorum*: versibus hexametris. Ingeniosum vatem Ovidius appellat, dum libros fastorum ei dedicat. Quidam Domitiano, qui etiam Germanici appellationem sumserat, hanc Arati versionem assignant, verum nitor, et elegantia carminis, quantum translatione e Graeco fieri potest, non indigna Augusti aevo, neque Germanici huius ingenio. Immo Arati Graeca *Phaenomena* a Germanico Latine reddita Tullium Ciceronem, qui idem fecit, si non vincunt, saltem aequant.

C. Peto Albinovanus circit. A. M. 5940. Intima Ovidio amicitia coniunctus, cuius etiam suis carminibus memoriam conservavit. Fuit Eques Romam. Fragmentum eius exstat de *Drusi Germanici Navigatione*, et *Elegia de morte Drusi Neronis ad Liviam Augustam*. Cultissimam, et eruditam viri docti iudicant. Cum Ovidii operi-

bus plerumque edi solet, quam aliqui Ovidio tribuebant; Scaliger Albinovano restituit.

Aemilius Macer circit. A. M. 7940. Veronensis. Carmen hexametrum de *virtutibus herbarum* scripsit. Non tamen illud est, quod corruptores quidam, et plagiarii huius Macri nomine in vulgus dederunt, rude illud et barbarum; in quo nec proprietas Latini sermonis, nec aequa versus structura est. In quo et Plinius citatur, qui uno plus minus seculo post Macrum floruit.

M. Manilius circit. A. Ch. 10. Romanus. Quamquam de aetate eius, uti et de nomine inter eruditos non convenit. Eduntur eius nomine *Libri V. Astronomicorum*, versu hexametro. Scaliger Poëtam ingeniosissimum vocat, et scriptorem nitidissimum, qui obscuras res tam luculento sermone exornat. Ovidio suavitate parem facit. Etsi vitium illud deesset, quo aliquarum vocum crebra repetitione aures offendat, nil ad perfectionem absoluti operis requireretur. In quibusdam nihil illo divinius copiosius, et iucundius dici potest, praesertim in argumento Latinis versibus antea intentato.

Phaedrus circit. A. C. 50. De quo jam alias, cum paucas eius fabellas Grammaticae II. assignavimus.

Seneca Tragicus A. C. 60. Sub hoc nomine *Tragoediae X.* supersunt, Scaliger harum auctorem nulla Graecorum maiestate inferiorem censet; cultu vero, ac nitore, etiam Euripide majorem. Alii quoque stilum in iis tragice grandem, et illustrem agnoscunt, pleneque esse ad normam artis conscriptas: alii aliter sentiunt. De eo fere inter omnes convenit, omnes non esse unius auctoris.

M. Annaeus Lucanus A. C. 60. Cordubensis, Hispanus. Eques Roman. A Nerone Imp. honoribus auctus primum, postea in odium incidit, conjurationi implicitus. Quare misso e venis sanguine mori jussus est. Vita eius in Svetonio legitur. Scripsit: *Pharsalia* carmine Hexametro, sive *bellum civile inter Pompeium, et Caesarem gestum ad Pharsalum Thessaliae urbem Libris X.* Obiit Anno aetat. 27. Magnum in eo fuit ingenium, spiritus plane Heroicus, non vulgaris doctrina, acres, et sanè de rebus opiniones, de virtutibus vero graves ubique et ponderosae sententiae, sed tumidum, et adfectatum ejus scribendi genus est, frequentes a proposito excursiones, declamatoriae rerum etiam minimarum amplificationes.

Aulus Persius Flaccus A. C. 60. Natus Volaterris in Italia. Eques Roman. Aequalis Lucani Poëtae, cum quo audivit Annaeum Cornutum Philosophum. Obiit vitio stomachi anno aetat. 50. ut Sveton. in ejus vita. Reliqua ejus juvenilia scripta ut flammis abolerentur, auctor fuit Cornutus; *Liber tantum VI. Satyrarum* ad nos pervenit. Fuit frugi, et pudicus, morum lenissimorum, verecundiae virginalis, formae pulchrae, pietatis erga matrem, et sororem singularis. Stilum eius, et dictionem horridam fateri debemus, et Juvenalis. licet aetate inferioris, dictioni postponendam; obscuritatem tamen de industria videtur secutus, quia animadvertit plurimos a se laesum iri, Doctus certe, et argutus est; et multum cum verae gloriae quamvis unico tantum libro meritum notavit Quintilianus.

C. Silius Italicus A. C. 70. Ex Italia civitate Pelignorum. Romanus Consul. Ciceronis, et Virgilii

cultor maximus, et utriusque imitator esse voluit. Mortuus in Campania annorum aetat. 75. Scripsit de bello Punico secundo Libros XVII. versu heroico, Historici magis functus partibus, quam Poëtae, legendusque pro bono auctore, non pro bono Poëta. Unde et Plin. Epist. septima L. III. carmina eum ait scripsisse maiore cura, quam ingenio.

C. Valerius Flaccus. A. C. 70. Setinensis ex Campania. Poëta non ignobilis, atque inter Latinos uno Virgilio in Epopoeia minor. Fortuna usus paupere iuvenis. Patavii e vivis excessit. Scripsit, quo tempore Flav. Vespasianus cum Domitiano ad urbem fuit, Titus vero Hierosolymam obsidebat. Habemus eius: *Argonautica Libris VII.* Octavi pars tantum est. Nam opus integrum absolvere non potuit, morte praeventus. In hoc opere imitatus est Graecum Apollonium Rhodium. Poëta fuit ingenio felici, iudicio magno; plus tamen in eo virium, quam virtutis inest. Facilior, quoties per se aliquid canit, quam quum Apollonium presso pede imitatur. Doctissimus Barthius, spiritu, gravitate, numeris, et orationis aequalitate neminem post Augusti Principatum priorem exstare asseverat, poëmaque hoc inter exempla perfecti carminis Epici collocat.

D. Iunius Iuvenalis A. C. 90. De hoc iam, ubi eius Satyras dedimus, superius.

P. Papinius Statius A. C. 90 Neapolitanus. Patre natus Praeceptore Domitiani Imp. Extemporalem pangendi versus facultatem habuit, op idque Domitiano fuit carissimus. Reliquit: *Libros V. Silvarum.* Item: *Libros XII. Thebaidos,* sive de bello septem ducum adversus Thebas. Praeterea *Libros II. Achilleidos;* de iis nempe, quae Troianum bellum antecesserunt. Huuc absolvere mors prohibuit. Duo postrema opera Domitiano dedicavit, qui a studio Poëseos celebratur. Multa scripsit, sed interciderunt.

Quaedam aliis cogente egestate vendidit, ut pro suis publicarent. Scaliger cultum et ingeniosum Poëtam vocat; sed excellere conatus, in tumorem excrevit; plusque phantasia, quam iudicio laboravit; ideo prima aetate non legendus, cui optima sunt ad imitandum proponenda.

Terentius Maurus A. C. 260. Carthagin. Cuius exstat opusculum omni genere carminum de literis, syllabis, pedibus, et metris. Carmen omni genere elegantiarum conditum, et amabili quadam ingenii amoenitate temperatum.

M. Aurel. Olymp. Nemesianus. A. C. 290. Carthagin. Scripsit plura, sed supersunt. tantum *Cynegetico*, sive: *carmen de venatione*, et *Ecclogae IV.* Numeriano Caesari acceptus. Eius poematibus elegantiam, puram, castigatamque dictionem, et Afrorum paene omnium primam in scribendo eidem eruditi viri tribuunt.

T. Iulius Calpurnius. A. C. 290. Siculus. Exstant eius: *Ecclogae VII.* Hunc castigatiorem Scriptorem Nemesiano dicere possumus. Immo Nemesiani *Ecclogas* ob stili similitudinem Calpurnio tribuimus. Quod iam pluribus visum.

Aquilinus. Caius Vettius Iuvenus. A. C. 350. Hispanus Presbyter. Scripsit versu Heroico: *Evangelicam Historiam Matthaei Libris IV.* Sermo eius simplex. nec satis vena ubere profusus, sed animo candido, castaque.

C. Sollius Apollinaris Sidonius A. C. 480. Lugdunensis, Apollinaris Praetorio Praefecti filius. Aliquandiu miles fuit, tum Praefectus urbis factus, et Patricius Romanus, ac Senator. Sed mutato animo sacerdotio initiatus est, et Avenionum Episcopus constitutus. Supersunt ex eius operibus: *Libri IX.*

Epistolarum, et Carmina XXIV. Vir fuit divinis, humanisque literis egregie imbutus. Non inficiendum tamen dictionem eius subinde duriorē esse: qualem praemortua iam Romana facundia, Gothicis idiomatibus corrupta secula ferebant.

Claudius Claudianus A. C. 390, Alexandrinus. Sub Theodosio M. Imp. floruit, sed maxime sub eius filiis: Honorio et Arcadio. Deo eo iam alibi dictum.

Pontius Meropius Paullinus. A. C. 400, Romanus. Ausonii discipulus. Vir sui temporis virorum clarissimorum testimoniis nobilitatus. Scripsit: *Epistolas quinquaginta, et diversa carmina.* Profunda eruditio secularium literarum phrasim ipsi fecit, quam divinis Mysteriis amabiliter miscet.

Decimus Magnus Ausonius A. C. 390, Burdegalensis ex Aquitania. Docuit Grammaticam, tum Rhetoricam, in patria; tum informator Gratiani, ac Valentiniani iunioris fuit. Quaestor etiam factus, tum Praefectus Italiae, et Galliarum; postea Consul declaratus, item Pro-Consul Asiae, mox et Africae Vicarius. Exstat eius Panegyricus ad Gratianum eruditus; diversa item *carmina* culta, sed a faecibus temporum, quibus vixit, non semper libera. *Religione Ethnicus*; eoque identidem a Paulino amico, sed Christianis Sacris dedito, quem huic per errorem praeposuimus, obiurgatus.

Rufus, Festus, Avienus A. C. 400, Hispanus, alii Italum dicunt. Theodosii iunioris, Marciani, et Leonis Thracis temporibus videtur floruisse. Latino sermone varia composuit; quibus non vulgarem ingenii laudem consecutus est. Deperditis aliis hodie superest: *Metaphrasis Arati*, versibus hexametris; et *Metaphrasis Periegeseos Dionysii Alexandrini*, eodem genere carminis, cum fragmento *descriptionis orae maritimae a Gadibus ad*
Select. pro II, Hum. 23

Massiliam usque, iambis elegantibus. Aiunt eruditi optimum esse interpretem, imo facundius, nitidiusque Arati phœnomena Latina reddidisse, quam Tullium Ciceronem, vel Caesarem Germanicum, *Fabellas* quoque *Aesopias* quadraginta duas in elegos convertit, et totum Livium iambis expressisse eum Servius pronunciat. Stilus eius perspicuus, tersus, et seculo illo floridior est.

Aurelius Prudentius, Clemens A. C. 400, Tarraconensis, Primum Juris Consultus, tum miles, postea ad Poësim se adplicuit. Plurima poëmata vario metrorum genere scripsit, stilo satis elegantis, et venusto; licet sint in iis, quae linguae Romanae castitas non ferat. Sententias concinnas, et vero Christiano dignas eruditi in eo aestimant.

Claudius Rutilius Numantianus. A. C. 416. Gallus, Tribunus Militum, vir Consularis. Urbi praefectus; Magister officiorum, sive palatii. Horatio imperante composuit: *de reditu suo, sive Itinerarii Libros II.* versibus elegis, satis limatis, odium Religionis Judaicae, et Christianae spirantibus. Posterioris libri maior pars amissa est.

Caelius Sedulus A. C. 440. Scotus. In Italia studuit. Dein Episcopus in Hispania; reliquit *Carmen Paschale Libris V.* item: *Collationem veteris Testamenti, et novi*, carmine elegiaco. Reliquit praeterea duos Hymnos Ecclesiae de *Natalibus Christi* alterum; alterum de *Epiphania*. Dictio eius facilis, ingeniosa, numerosa, perspicua, satis munda, pietatis Christianae commendatrix.

Claudius Marius Victor A. C. 440, etiam Victorinus dicitur. Rhetor at Poëta Massiliensis. Epicum Carmen concinnavit *Libris IV. in Genesim Commentarios*. Opus doctum, et limatum, sed in captandis acuminibus operosum. Dignum tamen, quod ob pietatem legatur. Etiam Epistolam scri-

psit ad *Salamonem Abbatem de perversis seculi moribus carmine heroico.*

Tiro Prosper A. C. 440. Aquitanus: Leonis Papae Notarius Rhetor et Poëta seculi V. disertus; sensu profundus, et subtilis. Pelagianae Haereseos debellator. Solutio stilo multa scripsit; ligato etiam Epigrammata. Fuit acris ingenii, et in divinis, profanisque literis egregie versatus.

Anicius, Manlius Torquatus Severinus Boethius A. C. 510. Ad melioris notae scriptores iudicio eruditorum referendus. Nihil in eo est, nisi eximium, Religio Christiana, cuius fuit assertor, Dignitas: fuit enim Patricius, Consul, Magister Palatii. Familia splendidissima; eruditio, sapientia, scientiarum omnium perfecta cognitio. Apud Theodoricum Regem in suspicionem coniurationis falso vocatus, in vincula coniectus, caput amisit. Scripsit libros in diverso argumentorum genere, et disciplinarum. a) — Unum opus prae ceteris est, de *consolatione Philosophiae Libris V.* comprehensum; in quo laudando omnes viri docti consentiunt. In mediis calamitatibus carceris partim prosa, partim metro elaboratum. Et licet soluta oratio barbarie seculi correpta videatur, Poësi tamen nil cultius, nil gravius est, nec quidquam venustius sive illud, sive quod praecessit seculum, habuit, ac ob id Boethius cuilibet superiorum, et magnorum comparandus, cui alioquin Roma a Varronis temporibus undequaque doctiorem non tulit.

a) Utpote: Theologicos, Philosophicos, Mathematicos, Rhetoricos; de Musica; denique varias versiones e Graeco. Prolixum foret de diversis harum scientiarum partibus libros conscriptos ab eo hic enumerare, omnes sane graves, et eruditos.

Monitum. Etsi posterius quoque Poësis a non paucis culta sit pluribus de causis, et interrumpenti latius in linguam latinam barbariei resistere diutius conata fuerit, (nam solutae orationis aevo poene extincto, haec difficiliter suo gradu depelli potuit: si non pristinum, saltem aliquem cultum conservans) nihil tamen post horum, qui recensentur, aetatem, licet, carminum scriptores non defuerint, dignum visa est peperisse, quod ad imitandum proponeretur. Quamvis ad haec tempora etiam nimium quantum ab aureae aetatis pulchritudine, gravitate, dulcedine, et mira illa sermonis elegantia recessit. Deinceps in tenebris haesura, donec eam secula linguae latinae instauratoria luci restituerint.

Instauratores vero ut ceterarum omnium scientiarum, ita Poëseos a seculis 14. et. 15 ad posteriora tempora partim in *Commentariolo de Ortu, Interitu, et Instaurazione Linguae Latinae Jacobi Facciolati; partim in Historiae Philosophicae Institutionibus Jac. Bruckeri, et passim alibi cognoscere poteris. Nunc his liberalium artium, et quem istae ingenerant, sincere haustae, boni gustus tiro ute, ac vale. Scrib. M. Karol. 1808. Tui profecto studiosissimus.*

JOANNES CHRYS. HANNULIK
E S. P.

286. Catapulta nyilatós. Ymorsó fűrekes hajtó gép.
Ballóra nagy hiedie ször a fal be tőrésre
dolabium - a cs lácid fessítő var, köfal tőrő.

